



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.
III[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos
Cardinales &c. Libri VI**

Baronius, Justus

Mogvntiae, 1605

Liber III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)



IVSTI BARONII
VETERACASTRENSIS
EPISTOLARVM SA-
CRARVM
LIBER III.

EPISTOLA I.

IVSTVS BARONIVS VETE-
racastrensis, Danieli Tossano Academ.
Heidelb. Professori.

*Anteuerit
bas & sequē
tes literas
infelix Tos-
sani mors.
Itaque cū
transmitti
non potue-
runt, quia
tamen vere
scripta, o-
mnino hic
inferenda
videbantur*



VID mihi tecum est? *Tossane.*
Imo verò, quid tibi mecum
est? Adeonè furiaè hæreticæ
mentem tuam exagitarunt,
vt cum pro ingenii mei tran-
quillitate, extra causam quæ publicè propo-
sita est, nullo vel minimo à me verbulo la-
cessitū, irritatus aut provocatus fueris: ta-
men ex quo ruptis & derelictis pestilentif-
simis laqueis vestris, Catholicæ Ecclesiæ
gremio, serio pietatis affectu, nulla fraude
aut simulatione me condidi: tu tamen (vt
audio) partim pro concione, partim pro le-
ctione, partim denique, quas ipse vidi, litte-
ris nullum mei traducendi, mei calumni-
andi, mei proscribendi, grauissimis deniq;
iniu-

iniuriis & contumeliis lacerandi finem facere queas? An ita constitutum habes, ut in obuium quemque arietandum tibi putes, qui vel Catholicus sit, vel Catholicus fiat, Pontificemque Romanum, supremum militantis Ecclesiæ caput, iure consuetudineque maiorum veneretur? Næ si tu hoc animo es, miserum te! miseram conditionem tuam! Franges citius caput, cum omnibus manipularibus tuis, quam nobis vel minimum plagæ signum impresseris. Hic enim ^a *Isai. 28. 16*
lapis ille angularis, probatus, pretiosus, in fundamento fundatus: super quem qui corruerit, confringetur; super quem verò lapis ceciderit, conteret eum. Et quemadmodum ^b Magnus *h. Epist. ad Episc. Viennens. pronunt.*
 LEO scribit. *Quisquis huic Sedi principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem. sed inflatus spiritu superbia semetipsum in inferna demergit.* Profectò miramur, & ridemus impotentem iram vestram & *Ingentes angusto in pectore ventos.* Sed ut dicere cœperã quid tibi mecũ est? *Tossane.* Vtrũ forte cum symmistis tuis tantum causæ vestræ, illius perquam ruinosa præsidium in me collocaueratis, ut nunc spe falsi, expectationeque deiecti, tantos passim in omnium oculis motus tumultusque cieatis? Equidem imprudentes facitis, ut cum nocere cupiatis, emolumentum multum afferatis rebus meis, Catholicis-

O que

que nostris persuadeatis, non vulgare vos
in me amisso damnum fecisse. Quod sanè
ita à vobis beneficium accipio, vt eo me
haud molestè etiam cariturum profitear.
Sin (quod pudore dicere cogimini) nil neq;
in me ingenii, neque doctrinæ, neque opis
aut spei singularis fuit, quid frustra tumultuamini amentes? quid aulas, curias, templa, Scholas, compita, mensas rabiosis conuiciis impletis, meque homunculum vnum, tanquam nullum, tantopere amissum doletis? Leuis iactura, leuiter ferenda est. Nec quandiu vester fui, hunc denegerem in vobis animum animaduerti. Videbamini lenes, videbamini patientes, magno interdum animo accepta etiam damna contemnentis. At nunc in me quid? Planè in contrarium versi, totos vos abiectionissimis affectibus mancipastis, iræ, inuidiæ, odio, maleuolentiæ, calumniis, obtreptionibus, mendaciis, & pluribus huiusmodi malignis præsidis aliis, quibus tabe luridos animos vestros sæpiusculè cõsolari videmini. Negabit is scio. Sed res in procinctu est. Non solum prima die, qua à vobis digressus sum, vt & cæteris huc vsque consecutis fermè omnibus, infausta illa *Predicantium* soboles, hinc inde per vrbes & villulas sine Musis & gratiis infesto sydere grassans, miserisque popellis sub tristissimo animarum
lato-

latrocino, sub impurissimo humanarum argutiarum fermento, sub frigidissima quantulæcunque pietatis larua, repurgatum Dei verbum, reformatum Euangelium venditans: quam potuit acerbissime nomen meum, famam, ingenium, consilia, conscientiam, & quicquid homo sacri habere potest, perstrinxit, clamoribusque suis cælos & terras, superos inferos, catholicos hæreticos ita repleuit, vt nunc omnium quasi aures hac sola voce tintiant, *Veteracastrensis Apostata est, Veteracastrensis Baalis mancipium est, auro redemptus, ambitione deceptus.* Verum & tu, *Tossane*, tam belli duxque caputq; gregis, manifestariis huiusmodi fraterculorum tuorum telis & machinis haud contentus, tandem etiam ad insidias & stragemata confugiendum duxisti. Ratusque nullam aptiorem mei opprimendi viam esse, quam confectis illis mendaciorum nebulis præ veritatis sole confestim semper liquefcentibus & pereuntibus) litterarum mearum, quas me sæpe in urbem dare aduerteras, secretis peruolutatis, dignam calumniæ ansam expiscari: vno tempore (heu scelus!) integrum fasciculum *Romam* destinatum contra omnem honestatem ac pietatem contra omnia gentium & naturæ. Iura interceptisti, resignasti, legisti, propalasti, ac ne quam cupiditati tuæ fraudem face-

res, iniurasti, glossematis impiis aspersisti, *Aschaffenburgum* vt faculam incendii mei ad manus Ill^{mi} Archiepiscopi nostri transmisti, aut saltem isthac omnia perpetrantibus opem, operam, consensum præbui-
sti. Quo super immani facinore, non dicam Theologo, sed libero homine longè indignissimo, cum nuper tibi dicam scriberet Reuerendus & doctissimus Societatis IESV Theologus, *Nicolaus Serarius*, eiusdem mecum iniuriæ tuæ particeps, adeò nihil habuisti, quo te illiberalis culpæ purgares, vt etiam alligares grauius, noxiamque noxiæ adderes. Mea præsertim ex parte, qui cum neque scripsissem ad te, neque (quo minus camino oleum suffunderem) meo erga te Iure vti decreuissem, adeò tamen in omnibus Epistolæ tuæ partibus (quam hoc ipso mihi die legendam *Serarius* noster mihi) abs te inhumaniter, mendaciter, ac calumniosè notatus, verberatus, ac flagellatus sum, vt si vel *Zenone* sim modestior, tamen isthac petulantia tua me excitare, linguamque ad iustissimam defensionem laxare queat. Nec tamen de ipso interceptarum litterarū crimine quicquam dicere decreui. Dixit satis & abunde *Serarius*, dicetque (vt intelligo) pluribus. De tuis tantum in me conuiciis dicam, ostendamque vel rustica nimis simplicitate te esse, si me talem esse

esse opinere, qualem me alii tibi fingunt: vel deplorata nimis malitia, si sciens volensque ipse innocentem tam mendacibus calumniis infectere.

Ac primum quod maturè satis à linea transsiliens, cum tibi nominis tui defendèdi incumberet necessitas, id est cum gravissimum interceptarum litterarum crimen à capite tuo, propulsare deberes, missa defensione tua in nomen meum incurris, petulanterque scurratus, ludos ac iocos facis: quid aliud facis, malignissime hæretice: quàm quod omnibus manifestum inundantis liuoris tui, imo exuberantis stultitiæ & impietatis argumentū ante oculos ponis? Qui si iustam aliquā mei infectādi, aut culpandi rationem apud te inuenisses, nunquam profectò ad hanc tam futilem atque insulsam ludificandi nominis aleam confugisses. Quæ tamen, si verè rem putabis, non me magis quàm impium illum sectæ vestræ principem, Stigmatiam Nouiodunensem tangis, cuius cum manibus ego quoque te commisisse satis habebo. Nam me quod attinet, expecta: Breui hanc quoque tibi ludiam tollam, nomenque cum re

abdicabo, vt non voce magis quàm corde ab impia Societate vestra videar quàm re-
 motissimus. Atque hanc mihi potestatem Pontifex Maxi.^d Imperator, Leges, te tuis-
 que

*Vide sup
 pralsb 2 E-
 pist. 9.
 d Dioclet.
 Eg Ma im.
 l. Enc. C de
 mutat. no-
 minis.*

que omnibus inuitis ac contra stendenti-
bus concedunt. De IUSTI verò appellatione
quid etiam ringeris? an ea tibi trabs in ocu-
lo? At ego tibi DANIELEM non inuideo,
quid tu igitur mihi IUSTVM? Annis abhinc
triginta ad sacrum Baptismi fontem id no-
minis à Clarissimo Marpurgensis Acade-
mia Professore D. IUSTO VIETORE accipi-
toto ætatis tempore, puer, adolescens, iu-
uenis, in Scholis & Academiis, priuatim &
publicè, sine cuiusquam molestia aut con-
tradictione vsurpauit: nec aliud album Aca-
demix vestræ, aut, quam vocant, *Sapientia*,
testabitur: haud aliud publicæ *sub te ipso*
Præside disputatæ iam pridem & THESES:
haud aliud denique continuus Parentum,
Præceptorum, fratrum, condiscipulorum,
vsus. Cui quod tu vnus post tot annorum
lustra inuide nunc reniti vis, vide quàm
stultè, quàm petulanter ac malignè facias,
quàm euidentis exulcerati tui in me animi,
acerbissimæ tuæ in me voluntaris testimo-
nium publicè relinquis.

Sed de primo capite satis. Ad alterum
venio, vbi *meis* ais *suggestionibus* D. Serari-
um FORTE ad scribendum tibi incitatum fuis-
se. Benè addis forte. Forte n. non sic fuit, neq;
sic fuit: q̄ optima conscientia testari possū:
sanctèque tibi affirmo, me planè in scio lit-
teras ab eo ad te exaratas, easq; demum po-
stea-

g Anno
1572. Nonis
circiter
Martis.

f Anno
1592. 11.
Martis.
g De ratio-
ne Inda-
ganda &
cognosc. ve-
ritatis. ex
Iohan. 7. &
17. 18.

steaquam transmissæ fuerunt, mihi visas le-
 etasque fuisse. Itaque planè fefellit te suspi-
 cio tua. Quamquam si maximè hortatu
 meo hæcad te Exprobratiuncula deuolaf-
 set, quid ab officio alienum fecissem, qui
 non minus grauitè ac *Serarius*, imò verò
 grauius atque enormius à te læsus eram?
 Numquid tibi leuius proditarum littera-
 rum crimen videtur, quàm vt exprobatio-
 nis ferula castigari debeat? Aut tu is es, què
 nemo nostrum seuerioribus interpella-
 re litteris debeat? Maximè, inquis: quia ego
 (ita enim porro addis) *ingratus, imò ingra-
 tissimus Palatini Principis alumnus & cliens.*
 Deum immortalem quid audio? Ego Ingra-
 tus? Equidem crimen illud vehementer
 horresco, *Tossane*: quod priscis olim sapi-
 entibus tanti fuisse video, vt Cicero^h nihil
 non mali in eo inesse statuatur. Etⁱ *Hippocratidas*
 Satrapæ Carix, qui per litteras significabat,
 Lacedæmonium quendam conscium infi-
 diarum sibi structarum, eas reticuisse, quæ-
 rebatque, quid de eo statuendum putaret,
 in hunc modum rescripsit. *Si magno eum a-
 liquo affecisti beneficio, INTERFICE. Sin verò,
 ditione tua EIICE, hominem ob timiditatem
 ad virtutem ineptum.* Quamobrem igitur
 tu me tam infamis culpæ reum agis? *Tossa-
 ne.* An quia *Palatini Electoris* in me benefi-
 cia non agnosco neq; profiteor? At tu falle-

*h Lib. 2. ad
 Attic.
 i Plutarch.
 in Apoph.
 Lacor.*



ris manifestè: profiteor libenter, prædico, ac plus etiam laudibus istius Principis vndiquaque commodavi, quam tot ignavialumnorum greges, quos magno quotannis sumptu vix æri campano, aut rusticanis Musis, aut si felicissimi sunt, vmbonibus declamatoriis pares effici videas. Et tamen hi gratissimi sunt, ego ingrattissimus. Quamobrem? Quia vitam moresq; Principis vsquam perstrinxi? Non feci, *Tossane*, neq; vnquam facere animum induxi; quin tibi potius tuique similibus pro concione sæpissimè in Celsitudinem eius acerbius inuectis, grauter indignatus sum, quos affectibus magis & priuata cupiditate, quam publicis commodis duci videbam. Qui nisi Principis bonitate tolerati fuissetis, video quam mercedem reportare debuissetis. Et vos tamen gratissimi, ego ingrattissimus. Quamobrem? An quia sumptus stipendii non refundo? At tu nimium iniquus es alienorum debitorum exactor. Quis te quæstorem constituit, vt sumptus à me reposceres? Alius hæ curæ curæ sunt, non cathedræ tuæ, quam si pro officio diligenter curares, non toties à studiosis disputans ridereris. Sed tamen ne hæc *πλυντραγμοσίγη* quæ omnibus fermè *Prædicantibus* instar fatalis scabiei adhæret, vt altero pede suggestum, altero tribunal premere gestiant,

ant, cor fortè tibi exedat, scito vnum quin-
 quennium integri à me nouennii fidelissi-
 me gestis muneribus quasi duplo compen-
 satum: scito Bibliothecam insuper meam,
 non quidem auream, sed nec triobolarem
 in vim (quod aiunt) plenioris compensati-
 onis Heidelbergensia adhuc claustra per-
 peti. Quid igitur habes, quo me vel mini-
 mæ ingratitude conuincas? *Tossane*. An
 quia abiecto *Caluinismo*, Catholicam fi-
 dem amplexatus, non solum *Palatinatui*
 operam meam subtraxi, sed & ^k *qua an-* *Gal. 2. 18.*
tea adificari, destruo; id est publicis libel-
 lis doctrinam & fidem meam pristinam re-
 tracto, omnes simplicitate à me seductos, à
 deuis vestris ac præcipitiis reuoco, vestram
 authoritatem minorem, numerum disci-
 pulorum vestrorum breuiorem efficio?
 Scilicet hæc est illa scelerata mea in *Palati-*
natum ingratitude: quam omnes mihi san-
 cti gratulantur, quam pietas suadet, quam
 utilitas denique vestra comprobatur. Nam vt
 verbis S. Pauli dicam: ¹ *Si ego vobis spiritua-* *1. Cor. 9. 11.*
lia semino, magnum est si quondam corporalia
vestra messui. Nonne hac ingratitude
 Christus & Apostoli Iudæos, Augustinus
 Manichæos, Sancti Martyres totum mun-
 dum prosequuti sunt, vt à quibus ipsi hor-
 deo pasti essent, Ambrosia veritatis satura-
 rent, à quibus aqua potionati, nectare salu-

tis inebriarent, à quibus linteis tecti, balte-
 is vitæ æternæ cingerent? O gratissimam
 ingratitude! quam si tu *Tossane* non in-
 telligis, sine nos intelligamus, atque impe-
 ritis opprobriis tuis necessitatē summam,
 vtilitatem maximam nostræ tuæq; salutis
 præferamus. Rectè *Cato* quondam, incu-
 fantibus multis *P. Sulpitij* ingratitude,
 quod se illi optimè merito opposuisset cō-
 petitorem: *Minimè* inquit *miradum*, si quod
 quis maximum bonum ducit, id alteri conce-
 dere nolit. Responsurus idem proculdubio
 pro me, si hanc *Tossani* cauillationem inau-
 dijset: minimè in simulandum me ingratit-
 udinis, cum quod bonum maximum du-
 cā, Catholicæ fidei vnitatem, nutritiis me-
 is affatim rependere cupiam. Vtinam vti-
 nam tu *Tossane*, tuæq; factionis plures alii,
 non solum principibus vestris, sed Catholi-
 co in primis Imperatori, sub cuius alis
 tanquam sub scuto ab exterorum hostium
 incursionibus tuti latetis: Ipsi etiam Roma-
 næ Ecclesiæ, à qua Scripturam, Sacramenta,
 atq; omnia pietatis insignia, adde etiam om-
 nis doctrinæ præsidia accepistis, gratam
 hanc ἀντιπελαργίαν referretis, ac benefi-
 cia beneficiis, præsidia præsiidiis, amorem
 amore, collectam collecta, studium studio,
 vigilantiam vigilantia compensaretis, quā
 suauem ac beatam vtrinque vitam ductu-
 ri, quam

ri, quam forti ac terribili rem Christianam
 vallo breui aduersus barbaros cincturi es-
 femus. Sed nimirum vos *Athenienses* illi, qui ^{m Plutar.}
 (vt^m *Themistocles* aiebat) ^{in Apoph.} quoties tempestas
 ingruit, sub *Platanum* nostram confugitis:
 quoties serenitas redit, eam vellitis, ac discer-
 pitis. Vos *Marcellus* ille, de quoⁿ *Pom-* ^{n Ibid.}
peius: Non te pudet inquit illi maledicere, cu-
 ius beneficio ex muto factus es facundus, ex fa-
 melico eo productus, vt vomitum iam tenere
 non possis.

Sed iam dudum me vocat *PAREVS* vester,
Tossane: quem inspecto litterarum mearum
 fasciculo questum esse ais, mala me fide descri-
 ptam suam epistolam, mutilatam nimirum,
Romam mittere voluisse. Bona tua venia di-
 cam, non credo, si bene *Pareum* noui. Ro-
 tundior est, quam qui impudenter ita præ-
 uaricari audeat. Si tamen dixit, en quæ fides
 vestra, quæ constantia, in re tam manifesta
 inficiari verum? An non cogitat, superesse
 suum apud me authographum? superesse
 etiam exscriptorem? Quod si igitur perti-
 nax est, en offero vobis conditionem, vt
 quemadmodum mearum ad curiam Romanam
 ita etiam *Parei* ad me literarum bona fide de-
 scriptum huc exemplar mittatis: quot tum
 apices ab autographo deprehensi fuerint
 aberrare, tot ego me digitis mulctandum
 interpono. Sed video quid sit: pudet homi-
 nem

nem infirmi sui tenuisque in me apparatus,
Sed quid istud ad me? vtrum mea propter-
ea fides indiscrimen vocari debuit? Non e-
go sum ille *Cornelianus* litterarum interpo-
lator, qui excisis nervis atque ossibus alie-
norum scriptorum, *σκελετούμα* tantum
celebribus viris submittere cogitem. Absit.
Quin si putat *Pareus*, nunc minus in suis
quam oportuit, scriptum esse, sciat ab initio
Pareum minus quam oportebat, scripsisse.

Venio ad palmarium Epistolæ tuæ con-
uitium, *Tossane*: quod cum in prima vobis
lingua hæere soleat, miror à te tam diu re-
ticeri potuisse. Ais, *facile patere ex Epistolis
meis, quid quæram apud Catholicos, nempe o-
pes & honores sub diuite Papa, quæ omnia sub
paupere Christo obtinere apud vos ex animi
sententia non potuerim. Ehem grande telum
ad prosternendam omnem fortunam me-
am! iam Moguntinenses sciunt, auarum me
& ambitiosum, quem antea pium & religio-
sum credebant. Utinam tacuisses Tossane
verbum hoc, felicius mea rota curreret.
Nugæ putidissimæ! quid habetis calumni-
atores amplius, quod mihi meique simili-
bus deinceps obiectetis? Verus hæc calu-
mnia est, toties *Augustino*, toties *Staphylo*,
toties *Wicelio*, *Pistorio*, alijsq; præstantissi-
mis viris ex ^o *Vre* vestro digressis, ita men-
daciter opposita, vt diabolum ipsum eius
pude-*

o Gen. 11. 31.

pudere nunc arbitrer. Sed dic mihi quæso,
Tossane, quibus argumentis aucupium tibi
 meum inoluit? *Ex Epistolis inquis, meis.*
 Quamobrem vero? Quia nunc pro fami-
 lia liberisq; sollicitus sum, nunc certam ha-
 bitandi stationem quæro, nunc munus sa-
 lariumq; annuum affecto, nunc in omni-
 bus Pontificis, Cardinalium, Principum o-
 pem imploro. Atqui hanc curam ego pieta-
 tis esse didiceram non *πλεονεξίας*; Paulo di-
 fertè astipulante: *P Si quis suorum, & maxi-*
mè domesticorum curam non habet, fidem ne-
ganit, & est infideli deterior. Et alibi. *¶ Non*
debent filij parentibus thesaurizare, sed paren-
tes filiis. Quid ergo nunc *Tossane*? Vestrum
 ne quisquam *¶ suis militat stipendijs*? Tu ne
 omnem familiæ tuæ abiecisti sollicitudinè?
 Imo vero omnes infatiabili augendorum
 atque amplificandorum stipendiorum cu-
 piditate laboratis: quæsturam, Senatium,
 Principem dies noctesque precibus & lit-
 teris sollicitatis: quibus aliqua pinguioris
 culinæ opportunitas, patula manu, ringète
 ore alienis semper ollis ac penarijs inhiatis,
 nec magis tamen inexplebilè vestram sitim
 satiatis, quam infelix ille

¶ Tantalus à labris sitiens fugientia captans *¶ Horat. li. 2.*
Flumina. *serm. Satyra*

Ego verò, absit invidia verbo, etsi quam
 debeo familiæ libenter curam impendo: ita
 me

me temperanter tamen haftenus gessi, ut
 quotquot me norunt, libenter meum faci-
 ant illud S. Augustini. ^{Epist. 237.} *Voluit Deus ostendere*
^{ad Castor.} *per fratrem tuum inimicis Ecclesiae, esse in vi-*
sceribus Christi eius, qui non sua quarant, sed
quae Christi. Verum utcunque sit, suspicami-
ni quod libet, calumniamini quantum licet
unicam oppono vobis coram Deo & An-
gelis mundissimam conscientiam, quam
suo tempore Iustus Iudex omnibus caeli ter-
raeque oculis, mea maior gloria, vestra ma-
iori ignominia patefacturus est. Sed quid
est, quod me ista, quae vocat, honorum atque
opum irritamenta apud vos impetrare non
potuisse garris? Tossane. Cur enim uero non
potui? An non virtuti ac diligentiae aequae
atque alij operam dabam? An non Patronos
habebam impensè fauentes? Qui quanto
nunc mei odio flagrant, tanto pridem meas
fortunas studio prosequerantur, nec leui-
um promissorum authores erant. Si nescis,
quare: si scis, tace, ne ita liquidò tabentem
animum tuum prodas. Etiam multi sine
Tossano remige nauigare potuerunt. At di-
ues est Papa. Deo laus, qui ut Abrahamum
^{Rom. 4. 13} *heredem mundi esse voluit, ac*
^{1. Tim. 4.} *et futurae vitae promissiones fecit: ita sponsam*
^{8.} *quoque suam Ecclesiam nequaquam per-*
^{Isai. 49.} *petua paupertate tabescere, sed*
^{23.} *regum ac*
 Principum nutritione in splendore quo-
 que

que emergere, ac decenti opulentia cum
² Salomone affluere iussit, quo vires habe- *2. 1. Paral.*
 ret & exornandi diuini cultus, & fidei tu- *29. 25.*
 tandæ, & rebellium compescendorum, & *2. Paral. 1.*
 contumacium ^a intro cogendorum, & po- *15.*
 meriorum denique Christi ad extremos *a Luc. 14. 23*
 vsque Indos propagandorum. Quod non
 nescires tu, nisi ^b *Isaiam* Prophetam nesci- *b Isai. 49.*
 res. Sed diues est Papa: quomodo? Rapinif- *23.*
 ne aut sacrilegijs, quibus vestra plerorūq;
 mensæ radiant & laquearia fulgent. Mini-
 mē: sed bonis iusto titulo, donationis, em-
 ptionis, &c. acquisitis: quorum si tu sub
 simplici palliolo tuo partem aliquam ob-
 tinere posses, haud grauatē videreris acce-
 pturus. Sed pergo. Diues est Papa, quid tum?
 An propterea qui Catholicus fit, diuitijs
 inescatur? Bella ratiocinatio, similis isti al-
 teri: Christus in his terris obambulans,
^c non habebat, vbi caput reclinaret. Ergo nos *c Matib. 8.*
 qui pauperiores sumus, sinceriores Chri- *20.*
 stiani sumus. Profectō si paupertate certan-
 dum est, certandum quoque est afflictione
 & perpeffionibus: quibus cum multis vo-
 bis partibus superiores sint *Anabaptista*, &
 omnis generis facinorosi, in quos quotidie
 magistratus iustē vindicat, arundineam pla-
 nē te hastam in me vibrare *Tossane, vides.*

Plura huius generis ad rem apposita dici
 poterant. Sed ad finem festino, vbi coronis
 dis

dis locò me *Impostorè* vocas, qui Catholicè
 de vxore detenta, & alijs perpeſſionibus verba
 dederim, quique magis ad blandiendum Pa-
 pe, & *piscationem auream*, quam ad crucem
 & *martyria* paratus sim. Dicamne, *Tossane*,
 virum te bonum, qui tam splendidè contra
 apertissimam veritatem mentiare? Aude-
 né negare, familiam meam integros aliquot
 menses *Heidelbergæ* detentam fuisse inui-
 tam? Auden' hoc negare? Quorsum igitur
 ego secunda vice nunc *Palatino Electori*,
 nūc *Senatui Ecclesiastico* supplicavi? Quo-
 rum tot nuncios mihi, tot sumptus feci?
 Quære ex ipsis, si lubet, Senatoribus, quo-
 ties misellam vxorem in rostra sua citarint,
 quoties ludificatam domum dimiserint. Ip-
 sum locum intuere, in quo cum sanis istius
 hominis pudefacta & consternata præ-
 metu respondere non posset, iam iam de
 deliquio periclitata, exire Senatu iussa
 est. *Sanctiorem Senatum* non in simulo, qui
 annuente Clementissimo Principe statim
 prima meis vice abeundi potestatem fecit.
 Remoras intelligo illas inferiores, quas
 Dei iudicio relinquo. Nunquid tibi adhuc
 impostor sum? Impostoris nomen tu tibi
 vindica, qui turpiter hominum saluti impo-
 nens, hæresin pro fide, toxicum pro pascu-
 is sceleratissime miseris instillas. De obtru-
 sis Pontifici *Palpis*, falsus es. De *piscatione*
aurea

aurea, iam redargui te, redarguetq; ampli-
 us, sicut adpromisit *Serarius*, Piscationis
 vestræ aureæ aliquot documenta prolatu-
 rus. Tandem de Martyrijs perferendis quã
 comparatus sim, quid tu disceptas, homo
 vanissime, nunq̃ à me neque læsus, nec puo-
 cat^o, nec èt vires meas expert^o. Deus saluta-
 ris constantiæ pater, si hunc, quo nunc sũ, a-
 nimum mihi confirmare (vt spero) digna-
 bitur, planè nihil recuso hæresin vestram
 vel sanguine meo condemnare. Sed video
 prolixior me in calumnijs tuis retundē-
 dis fuisse, quàm oportebat. Abrũpo igitur
 filum defensionis meæ, teque seriò cohor-
 tor, alienæ in posterum famæ vt parcas, &
 qui nulla te iniuria laceſſunt, quiescere si-
 nas : hæc verò quæ per nefas mihi impin-
 gere voluisti, in te legitimè retorta tecum
 tantisper coquas, donec ipso tempore plura
 & maiora innocentia meæ argumenta tibi
 tuisque innotescant. Vale Mogunt. 6. Ca-
 lend. Februar. M. DCII.

EPISTOLA II.

LVDOVICVS SCHWARTZ-
 maier à Schwartzenu, S. Cæſ. Maiest.
 à Consilij.
 IVSTO BARONIO VETE-
 racastrensi S P. D.

AD religionem verè Catholicam & Or-
 thodoxam te accessisse, mi IVSTE, iam-
 P dudum

dudum fama, & nuper scriptis tuis summo cum gaudio percepi. Idq; eo libētius, quod non solum *Palatinatu* iam diu inseruissē te audio, in quo & ipse natus, singulari Dei beneficio ad eius veram agnitionem serō tādē perueni: Verum etiam quod à CALVINO tibi nomē, qui omnium hæresiarcharum princeps, tanto grauius Ecclesiam afflixit, quando eius dogmata cæteris omnibus extiterunt venenatiora. Sperarim autem APOLOGIA tua in vernaculam linguam translata, multos in *Palatinatu* ad gremium Catholicæ Ecclesiæ redituros, præsertim cum iam Principes quidam ipsimet se à suis falsis Prophetis deceptos videant. Gratulor ergo tibi primum de conuersione tua, & serō hortor, vt in fide tua constanter perseueres, eamque pro viribus defendas acriter. Deinde etiam eo omnes neruos intendas rogo, patriam vt communem publico quodam scripto, & comminando & rogando ab exitiali hæresi reuocare, veræq; ac vetustissimæ religioni restituere cōitare. Id quod Deo erit acceptum sacrificiū: & tu eo ipso salutem æternam promebere.

Vale. Pragæ. 15. Calend. Maij.

M. DCII.

Epist.

EPISTOLA III.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. ROBERTO
Bellarmino S.R.E. Cardinali, Archi-
episcopo Capuano

IVSTVS BARONIVS VETE-
racastrensis S.

LONGO ac difficili itinere, è media Ger-
mania euocatus, paucis ab hinc diebus
vna cum fratre in urbem perueni, ILL^{me}
& REV^{me} D^{ne} ea præcipue mente ac con-
silio, vt quoniam mihi iam dudum confimi-
le *Augustini* voto votum, *videre Romam in*
Choro, Pontificem in Cathedra, Cardinales in
Comitatu, partim animum tam insueto spe-
ctaculo oblectarem, partim Deo beneficen-
tissimisque Patronis, quorum opera vel in
fide institutus, vel in necessitatibus suble-
uatus essem, debitas grates persoluerem,
mihiq; eorundem gratiam constantius de-
inceps deuincirem. Quorum vtrorumque
ita heri in vigilia SS. PETRI & PAULI initium
feci, vt & Deum veneratus, & Pontificem
cum vniuerso Purpuratorum Patrum col-
legio conspicatus, & meorum etiam præci-
pui salutatis nihil desiderarim, nisi te vnū
desideratissimum BELLARMINVM meum
(fas sit ita loqui intemperantissimo amori
meo) qui si affuisses, corona sanctorum ple-

na & gaudium meum omnibus numeris absolutum fuisset. Sed intelligo Pastorem ad oues, Patrem ad filios, Ducem ad exercitum conuolasse. Placet & hoc, neque indignor, quin (si accipis à cliente hoc officij) tam sublimem tibi dignitatem, & Episcopale munus, quod ** appetentes, bonum opus appetere* Paulus ait, ex animo gratulor. Ardet interim pectus incredibili tui videndi cupiditate, quod quia oculis negatum est, litteris conabor, nec mente à te vnquam vel latum pilum dimouebor. Nos hic fouet & complectitur magnus ille collega tuus BARONIUS, cuius à mensa & contubernio nunquam segregamur. Mirifica Principis humanitas, incredibilis doctrina, rara sanctitas munificentia cum paucis comparanda, vt si nihil quod Romæ miraremur, hoc vno domestico monumento contenti esse possemus: Ita planè domus eius omnium virtutum pietatisque sacrarium est. Sed & alibi in vrbe confertim se luculenta & maximè insignia pietatis spectacula offerunt, siue templorum ornatum, siue splendorem vrbis, siue Martyrum numerum, siue antiquitatum *κειμήλια* siue populi deniq; zelum & contiuam religionis contentionem spectemus. Ó vtinam videant maledici *Arctifila* nostri, virusq; acerbitalis suæ tandem aliquando competere discant! Sed ** seruus malus*

** 1. Tim. 3*

1.

** Prover.*

29. 19.

malus nec verbis emendabitur: si enim & intellexerit, non obediet. Muneri tibi mitto literarium opusculum, confectum à me hybernis lucubrationibus, quod donec tuo nomini consecrata prodeant, benignè accipies, meque devinctissimum Clientem tuum perpetuo favore complectere. Quod ut facias, maiorem in modum etiam atque etiam obsecro. Vale. Romæ è Palatio Baroni-
niano. 3. Calend. Iulij M. DCII.

EPISTOLA IV.

ILL^{mo} ET REV^{mo} PRINCIPI D^o.
IOANNI ADAMO, Archiepiscopo &
Electori Moguntino

IVSTVS BARONIVS VETE-
racastrensis S.

CONFECI feliciter, quod tua venia ingressus eram iter; ILL^{mo} ET REV^{mo} PRINCEPS: id est superatis alpibus, viso *Mediolano*, ac *Bononia Lauretoque*, quadragesimo à *Moguntia* die (cunctari enim sapiusculè calores, ac respirare à iactationibus coegerunt) *Romam* cum fratre appuli, principem illam olim Imperij, nunc religionis, & verè, quod ait ille, * Τῆς οἰκουμένης ἐπιτομήν. Appulos hospitio excepit magnum illud Cardinalium lumen CÆSAR BARONI-

* Polemō
Sophista.

vs SORANVS: cuius sub aris ac focus adhuc
 requiescimus, nec pedē inde mouebimus,
 quādiu nos alma hæc pietatis mater tene-
 bit. Ita video Optimū Principē in nobis cō-
 plectendis & ornandis nunquam sibi satis-
 facere. Beneficia beneficijs cumulat, amorē
 amore, studium studio. Pōtifex etiam Max.
 proxima Dominica ad sui conspectum ad-
 missum, paterna me benedictione p̄secut⁹
 est, percontatusq; de publicis & priuatis re-
 bus nostris, vbi me narrante de tua valetu-
 dine, pietate, atque intrepido fidei Catholi-
 cæ tutandæ propagandæque ardore intel-
 lexit, quamplurimum se ostendit recrea-
 tum. Cuius rei testis est idem ille Dux noster
Baronius, tanto Pontifice dignus Cardina-
 lis, cuius vtriusque vitam Diui cœlites no-
 stro ac totius orbis bono quàm diutissimè
 seruent incolumem. De vr̄bis magnificen-
 tia, deq; cæteris pietatis ac fortitudinis pri-
 scæ luculentissimis hic trophæis, nihil est
 quod scribam. Sunt ista iam in ore atq; ocu-
 lis omnium, nec te fugiunt, qui Sanctam
 hanc terram haud paruo olim tempore cal-
 calsti. Vbi etsi præter cæteros non dubito,
 quin sæpè hunc ipsum sacrae litteraturæ
 Principem *Baronium* videris, en tibi tamen
 (si fortè fallar) veram viuamque ipsius Ico-
 nem, quam non minus gratam tibi futuram
 confido, quàm ille ipse est, cuius hodiè laus
 & fa-

& fama vniuersum Christianum orbem
 peruagata, instar solis cuiusdam pestilentes
 hæreticorum tenebras dispellit, lucemque
 affert illis, quos diri erroris pertinacia du-
 dum excæcarat. Quo suo archetypo cum
 satis cõmendata sit effigies mea, plurib⁹ e-
 go verbis illam commendare desino, ac me
 potius ad familiam meam conuerto, tuas
 ILL^{me} PRINCEPS benignissimæ gratiæ com-
 mendatam, quam vt illis desiderio mei ac-
 census magis magisque accommodare, ac si
 quo libebit signo confirmare digneris, ma-
 iorem in modum peto atque obsecro. Erit
 ea res non paruæ tibi apud pares laudis se-
 mentis, præmij verò apud Deum etiam
 hostimentum. Cuius vt tibi numen perpe-
 tuo adsit, ex animo precor ac voueo. Vale.
 Romæ è Palatio Baroniano. 3. Non. Iulij. M.
 DCII.

EPISTOLA V.

ILLVSTRI ET REVERENDO
 Dno. Ioanni Schvicardo à Cronberg,
 Metropol^æ Eccl^æ Mog^æ
 Decano.

IUSTVS BARONIVS VETERA-
 castrensis S.

POSTEA QVAM à vobis discessi, ILLV-
 STRIS ET REVERENDE D^{nc}, recta per
 P 4 Pala-

Palatinatum, mutato nonnihil schemate,
a Plutar. de ac pressa in diuersoribus persona (sicut a anse-
solertia ani res Cilices Taurum transuolaturi, metu aquil-
marum. *larum Iustæ magnitudinis lapide in os sumpto*
taciturnitatem sibi imperant.) *Argentynam*
prexi: inde per Alpes, Lombardiam & Mar-
chiam Romam. Vbi hospitem nactus ma-
gnificum magis an humanum, sanctum an
doctum dubito, Cardinalem Baronium, al-
teram nunc septimanam in obeunda vrbe,
visendis templis, admirandis omnis gene-
ris reliquiis ac trophæis, precibus denique
ad limina Principum Apostolorum fun-
dendis consumo, memor tui, memor sin-
gularis tuæ in me beneficentiæ ac hospita-
litatis, atque (vt ait ille) gratias agens non
b Auson. in in sacrario modo Pontificalis Oraculi (qui lo-
Gratias. quitur)
Act ad Gra. cuius horrore tranquilla & pauore venerabili
et anti Imp. ab initio. raro eundem animum prestat & vultum) sed
vsq; quaq; tum tacens tum loquens: tum in
catu hominum, tum ipse mecum: & cum voce
patui, & cum meditatione secessi, omni loco, a-
ctu, habitu & tempore. Nec mirum, si ego ter-
minum non statuam tam grata profidendi,
cum tu finem facere nescieris mei honorandi.
Fac eor etenim palam, quicquid hæcenus
Moguntia in me contulit, tuo vnus auspicio
collatum esse, cuius etiamnum sub alis
suauiter familia requiescit, vnus Cronbergij
tectis gaudens, vnus Cronbergij patrocinio
fidens:

fidens: quod hic sūmis pariter ac imis, notis
 & ignotis magna ut dixi laude tua p̄dicare
 haud cesso, neque dum viuam cessabo: tan-
 tum ne tu hunc ad te redundantem laudis
 fructum vilem arbitrere. ^c Hoc enim est ^{c Val Max.}
 virtutis vberimum alimentum: ^d hoc ἡ δῖον ^{lib. 2. ca. 10.}
 ἀρχαῖα, ^e maximum bonorum externorum, ^{d Xenoph.}
^f cuius dulcedine nulla est tanta humilitas, ^{in Hieron.}
 quin affatim tangatur. Maeste animo Illu- ^{sive Tyran-}
 stris vir, tu mihi Deus, tu mihi pater: ego ^{nico.}
 virtutum tuarum haud negligens p̄aco, ^{e Arist 4.}
 Christus vberima merces: cuius ego te cu- ^{Ethic. ca 3.}
 ra totum tuosq; commendo. Vale, atq; er- ^{f Val. Max.}
 ga familiam qui soles, esse perge. Romæ è ^{lib. 8. c. 14.}
 Palatio Baroniano, Prid. Non. Iulii. M.
 D. CII.

EPISTOLA VI.

IUSTVS BARONIVS VETE-
 racastrensis

IOHANNI MVLHVSINO, SO-
 cietatis Iesu Theologo S.
 P. D.

CVM XII^o Kalend. Iulii Romam venif-
 sem, neq; maturius propter itinerum
 & calorū difficultatem venire potuissem,
 optatissimo inuento hospite, *Cardinale Ba-*
ronio, maximè conuenire officio meo, *Ec-*
clesiæq; conducere putavi, prospicere ea
 quæ

quæ ad personam meam commendandam, & ad causam, ob quam venissem, instruendam quoquo modo pertinerent. Itaq; memor, quantus hæreticæ luis in hac Sancta vrbe horror, quanta animaduersio esse so-leret: certo die sponte & liberè cum fratre *S. Inquisitionis Officium* ingressus, superiorisque ætatis cum gemitu enumeratis & reuocatis iterum erroribus, cæterisque quæ-stitius loci sunt, fideliter præstitis. nouam ac solennem ab Apostolico Cõmissario, Nobili ac Doctissimo Viro, consueto proces-*su Absolutionem* consecutus sum. Non quidem quod illa prior *Spirensis* nullarum vi-rium fuerit, sed quod conscientiam magis quàm forum ciuile spectasse videretur. Rei totius fidem pleniorẽ faciet ipsius *Sanctæ Inquisitionis* authenticum ac sigillatum *Testimonium*, cuius tibi apographum mitto.

De cæteris rebus nosti ipse, quæ hico-mnium facies esse soleat. *Baronium* nosse desideras? Depinxit ad vivum prope ^a D. *Hieronymus* in Centenario illo *Paulo Con- cordiensi*, nisi quod in hoc (*Baronio*) ætas a-liquanto minor. Ecce enim sexagenus iam illi ætatis circulus voluitur, isq; semper inter Caucasos atque *Ætnas* laborum *præcepta Domini* custodiens, futura beatitudinem vite per presentia exempla meditatur. Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa vesti-
gis

^a Hieron.
Epist. 21. ad
Paul. con-
cordi.

gia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox
 sonora, corpus solidum, & succi plenum: cani-
 cum rubore discrepant, vires cum atate dissen-
 tiunt, non memoria tenacitatem, ut in plerisq;
 cernimus, antiquior senectus dissoluit. Non ca-
 lidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit.
 Non contractam rugis faciem arata frons ex-
 asperat: non denique tremula manus percuruos
 chartæ tramites errantem stylum ducit: non
 defatigatur (quod mirare) in tam immani
 Annalium mole, proprio semper labore, si-
 ne ullius amanuensis opera describenda.
 Atq; ut cætera etiam S. Hieronymi attexam:
 Futura nobis resurrectionis virorem in hoc
 Principe Dominus ostendit, ut peccati scia-
 mus esse, quod ceteri adhuc viuentes præmori-
 untur in carne: Iustitia quod ille adolescenti-
 am in aliena atate mentitur. Et quanquam
 multis istam corporis sanitatem etiam pecca-
 toribus euenire videamus, tamen illis hoc Di-
 abolus ministrat, ut peccent: illi Deus præstat ut
 gaudeat: imò verò ut gaudeamus nos, neq;
 ille Herculeo Antiquitatis Ecclesiasticæ e-
 ruendæ cœpto succumbat. Quod ut illi
 mecum totiq; Catholicæ Ecclesiæ à Deo
 iugiter precari pergas, amicissime doctissime-
 que MVLHVSINE, per fidem te tuam, ut ma-
 ximè possum, obtestor. Vale & ^b cum San- ^b Hieron. 2
 ctis, qui tecum Christi ^c leue trahunt iugum, ^c pist. 96. ad
 præcipue suspiciendis Patribus Francisco ^c August.
 Rape- ^c Martia
 11. 30.

Rapedio Rectore, Iohan. Busao, & Nicolao Serario quàm longissimè salue. Romæ. 6. Calend. August. M.DCII.

TESTIMONIUM ABSOLVTIONIS S. Inquisit. Romanæ.

VNIVERSIS & singulis presentes litteras visuris, lecturis pariter & audituris, pateat euidenter, & sit notum, qualiter die XXVIII. mensis Iunii M.DCII. Iustus Baronius Veteracastrensis Germanus, Henrici Caluini filius, ætatis suæ annorum circiter XXXI., comparuit personaliter sponte Romæ in Palatio S. Officii, & iuridice facta suorum errorum & hæresum confessione, prout latius in Actis, veniam petiit, & Sanctæ Matri Ecclesiæ reconciliari deprecatus fuit. Quocirca die XXIII. mensis Iulii præsentis anni MDCII. attentæ sententiæ per R. P. Fratrem Deodatum Gentilem Ianuensem, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magistrum, Sanctæque Romanæ & vniuersalis Inquisitionis Commissarium generalem, in huiusmodi causa lata Iustus Baronius prædictus abiurauit tanquam
for.

formalis hereticus omnes errores & hæreses Caluini, & in genere omnes & quoscumque alios errores & hæreses contra Sanctam Romanam Ecclesiam sese quomodolibet extollentes, ac successivè ab eodem R. Patre Commissario absolutus fuit, in forma Ecclesiæ consueta, ab omnibus & singulis excommunicationis sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas præmissorum causa & occasione quomodolibet incurrit, & communioni fidelium, participationisq; Ecclesiasticorum Sacramentorum, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ unitati & gremio restitutus. Iniunctis eidem pœnitentiis salutaribus: nempe ut semel quâprimùm visitet septem urbis Ecclesias, intra & extra mœnia privilegiatas. Per triennium proximè futurum ieiunet in die Parasceues in pane & aqua. Per idem tēpus bis singulis hebdomadibus recitet Coronam B. Mariæ semper Virginis: & tandem per idipsum tempus quater in anno Sacramentaliter peccata sua confiteatur Sacerdoti ab Ordinario exposito, & de eius consilio Sanctissimum Eucharistiæ Sacramen-

mentum sumat in Natiuitatis & Resurre-
ctionis Domini nostri Iesu Christi, Penteco-
stes, & omnium Sanctorum festiuitatibus. In
quorum fidem &c. Datum Romæ, in Pala-
tio dicti Sancti officii, die XXIII. Iulii.
MDCII.

*Quintilianus Adrianus Sanctæ Ro-
mana & Vniuersalis Inquisi-
tionis Notarius.*

Locus Sigilli.

EPISTOLA VII.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. ROBERTO
Bellarmino S. R. E. Cardinali, Archie-
piscopo Capuano

IVSTVS BARONIVS VETE-
racastrensis S.

VENISSE me in urbem, diuertisse apud
Cardinalem *Baronium*, te videre per-
cupisse, scripsi iam dudum, atq; opera Pa-
tris cuiusdam *Oratorij* trāsmisi. Sed taces, nec
verbum contra, vt haud egrè credam quod
ferunt, perisse literas cum nuncio, vi calo-
rum oppresso. Quod si ita est, En alterum
tibi earundem litterarum exemplum: qui-
bus hoc vnum attexo, quod aliās quoq; de
Insti-

*Institutionibus Calvini** scripsi, omnem Ger- * *Vide See*
maniam nostram hoc à te confutationis be- *pra lib. 2.*
 neficium desiderare. Nam quod *Baronius Epist. 18.*
 alijque viri Principes hanc nuper *Aetnam*
 mihi impositam voluerunt, vides ILL^{me}
 D^{ne} quàm graue futurum sit, quàm hume-
 ri mei planè non sint ferendo. *Atlantem* ali-
 quem hæc cura desiderat, qui non ego, sed
 tu tuique similes, in sacra hac militia iam
 Veterani, coronisque toties decorati. Mihi
post principia locus, tutumque silentij præ-
 sidium, vnde me haud extrahi patiar, nisi
 neminem omninò velle intelligam. At vo-
 les tu spero, meq; hoc onere leuabis, ne de-
 trectasse magis superiorum voluntatem,
 quàm summè idoneo concessisse videar.
 Vale, meq; reditum ad meos maturantem
 pijssimis tuis apud Deum precibus prose-
 quere. Romæ 9. Calend. Septem. M. DCII.

EPISTOLA VIII.

ROBERTVS BELLARMINVS

Politianus, S. R. E. Cardinalis, Archi-
 episcopus Capuæ

IUSTO BARONIO VETERA-
 castrensi S.

Clarissime vir, & singularis amice.

MOLESTE fero, quod literas tuas prio-
 res nō viderim, sed longe molestius,
 quod

quod te ipsum videre non possim. Faxit Deus, ut in patria coniugamur, cum ipsius Dei causa in exilio nos disiunxerit. Ego te ubicunque fueris, sincerè diligam, & *Roma* abeuntem precibus & votis prosequar. Arbitror enim, vitam & salutem tuam Ecclesie Catholicae non mediocriter profuturam, si ad *Caluini Institutiones* seriò refutandas animum adieceris. Video enim tibi ad opus hoc perficiendum multa suppetere, quibus vel omnibus, vel nonnullis caruerunt, qui idem opus infeliciter aggressi, infelicius ad exitum perduxerunt. Me certè non solum aetas iam proeecta, & in senium declinans prohibet eiusmodi opus aggredi, sed multò magis sarcina Ecclesiastica, quæ grauissima est, cum non solum more veteri, assidue concionandum, & orandum, vel ut verbis utar Apostolorum, * *orationi & verbo Dei instandum* nobis sit, sed etiam iuri dicendo, & reis puniendis operam dare sine intermissione debeamus. Tibi igitur palmam libenter cedo & iuniori & instructiori. Dominus Deus noster dona sua in te collata conferuet & augeat, ut de hostibus fidei, qui te aliquando captiuum miserè tenuerunt, gloriosè triumphes. Datum Capuae, die 6. Septemb. M. DCII.

* *Act. 6. 4.*

EPISTOLA IX.

CÆSAR BARONIVS SORANUS
S.R.E. Cardinalis

ILL^{mo} D^{no} IOANNI ADAMO
Archiepiscopo & Electori Moguntino. S.P.D.

Ill^{me} & Res^{me} D^{ne}.

QVI Moguntia Romam venit *Iustus Calvinus*, idem modo reuertitur Roma Moguntiam *Iustus Baronius*. Quem enim Ecclesia Catholica accepit in sinum, ego in familiam meam libenter suscepi, cum etiam iure spiritualis cognationis, virtute Sacramenti CONFIRMATIONIS, quod consecutus est à Sanctiss^o D^o N^o CLEMENTE Papa VIII. eundem genui mihi filium, & ut spero, non degenerem leonis catulum, qui iam exeruit unguem in eos, qui ipsum in cauea impietatis detinuerunt captiuum. Hunc igitur his decoratum à nobis insignibus, iam antea filium tuum, ouemque pascui tui, rogo iterum atque iterum vti pater benignus amplectere, & vigilantissimus pastor enutri, vti patronus foue, protectorque defende: suscepturus ego in me cuncta in ipsum collata officia & beneficia, quo nomine R^{mæ} Dⁱ V^æ deuinctus perpetuo permanebo. Qui & pro Episcopali munificentia erga eius familiam ipso absente

Q abuni=

abunde satis exhibita, plurimas gratias ago.
Vale. Romæ 15. Calend. Octob. An. Dom.
M. DCII.

EPISTOLA X.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. CÆSARI
Baronio Sorano S. R. E. Car-
dinali.

IVSTVS BARONIVS VETERA-
castrensis S.

SOLICITVM te esse itineris nostri, ILL^{me}
& REV^{me} D^{ne} tam non dubito, quam
me esse tibi charissimum. Itaque ne ingrati
hospitis crimen incurram, id est, ^a quod natu-
ra Lynces insitum habere dicuntur, ne post
tergum respicientes meminuerint priorum, &
mens perdat, quod oculi videre desierint: ex
proxima etiam *Hetruria* rescribendum tibi
dixi, vt quanto minori ad te interuallo
rescriberem, tanto constantiorem tui me-
moriã habere viderer. Scito igitur regres-
sos ex vrbe septimo post die *Lauretaniis*
ambagibus *Perusiam* venisse, vndecimo
Senas. Quo vtroque loco quid mihi, quid
comitibus meis Germanis, *Bernitio* & *Zol-
lero* cum Illustrissimis Academicis negotiis
intercesserit, quid Laureæ à nobis affecta-
tum feliciterq; reportatum fuerit, malo te i-
psorummet publicis testimonijs (quæ mit-
to)

a Hieron.
Epist. 44
ad Chryso-
gon. Monac.
Aquil.

to)quàm litteris meis cognoscere. Sanè *Roma* nihil mihi huiusmodi in mente. At primum exemplum comitum candidatorum, deinde singularia Academicorum privilegia atq; inuitationes, tertio fructus in Germania sese tum priuatis fortunis meis, tum publicis vel in Ecclesia, vel in Repub. edendis lucubrationibus adpromittens, faciliè me in hoc consilium pertraxit, quod nec tibi, nec cæteris Illustrissimis Patronis Cardinalibus, *Bellarmino, Aldobrandino, Paracincino*, improbatum iri confido. Successus utrobique fuit Dei munere perquam oppido felicissimus. Honoris tuo nomine etiam præ cæteris mihi tantum habitum, quantum verbis consequi vix possum. Viserunt, duxerunt, reduxerunt, magna solennitate, maximo numero, vt præter frequentissimã studiosorum cateruam, *Senensium Academicorum* confessus 72. Doctorum corona clauderetur. Orationes in te, in Pontificem, in cæteros Mæcenates meos, quos ordine me narrante, comitibus astipulantibus, litterisque etiam aliquot vestris, quas opportunè mecum habebam, contestantibus cognouerant, habitæ à Promotoribus quàm honorificentissimæ. Plura huius generis pudore, non obliuione, prætereo. Sunt enim talia, quæ etsi vestro potius quàm meo merito in me collata profiteor, arrogantius

Q 2 tamen

tamen fortè quàm vtilius prædicari à me videbuntur, qui totius rei pars maxima fui. Quanquam hanc ipsam me laudis & gloriæ mercedem Illustrissimis Academicis omnino debere agnosco: quibus vt perpetuum amoris venerationisque affectum libentissimè, quoad viuam, præstabo: ita vt vos Amplissimi Mæcenates mei Vestræ quoque beneuolentiæ auram data illis opportunitate afflare dignemini, vt vehementer cupio, ita maximò pere oro.

De tuis verò in me præclarissimis nuper Romæ meritis, quid? ILL^{mc} BARONI: de quadrimestri hospitalitate, de amicissimis sermonibus, de religiosissimis pietatis exemplis, de creberrimis commendationibus, de Sacramentali mecum inita cognatione, de gloriosissima denique nominis contesseratione, an mutus lethæusque ego? Absit: quin Stentore clamosius vbique effero, sumoque hanc mihi non vulgaris, vt ita dicam, ostentationis materiam, quod non tuæ tantum clientelæ, sed & tuæ familiæ homo sum Hoc lætor, hoc exulto magis,

b Horat. l.
Ep. st. 12.

b Quam si me liquidus fortuna riuus in-
auret.

c Hieron.
Ep. st. 44.
ad Chryso-
stom. Monac.
Aquil.

Atque hoc huic ipsi Epistolæ inserui, ne (vt ad superiora redeam) λύγκερος à te existimarer, quæ fera, vt Hieronymi verbis concludam, sub frondente captans arboris ramo
fuga-

fugaces capreas, aut timidum ceruos animal
 comprehendit, currentemq; frustra prædam,
 dum hostem suum secum vehit, rabido desuper
 ore dilaniat, & tandem meminit prædandi,
 quamdiu venter vacuus siccum fame guttur
 exasperat: ubi verò sanguine pasta feruas vi-
 scera distē a complenerit, cum saturitate suc-
 cedit obliuio, tandem nescitura quid capiat, do-
 nec memoriam reuo cauerit esuries. Non ego
 talis, non: sed quæadmodum ^d Ciconia sem-
 piternam paternę fidei & amoris memoriã
 in esse ferunt: ita & mihi tuorum bene-
 ficiorum crede: nec mihi solum, sed & fili-
 is, & posteris, & quotquot Baroniani ex me
 nominis heredes vnquam superfuturi sunt.
 Vale. Senis 4. Non. Octob. M. DCII.

*d Plutarch.
 de Solert.
 Animal.
 Et li 8 Sym
 pos. quest. 7.*

TESTIMONIUM
 FACULTATIS THEOLOGICÆ,
 Illustris Academia
 Perusina.

Christi nomine inuocato.

NOS Saluutius de Saluutiis V. I. D.
 Canonicus Perusinus, Protonota-
 rius Apostolicus, ac Perillustris &
 Reu^{mi} D. Neapolionis Comitoli, Dei &
 Apostolica Sedis gratia Episcopi Perusini,
 & Almi Gymnasii Perusini Cancellarij
 Q 3 Optimi

Optimi Vicarius generalis: cum presentia,
assistencia ac decreto R^{di} P. 10. Baptista
Dionysii, Canonici Perusini, collegii Theo-
logorum ac Philosophorum Vniuersitatis
Perusinae Decani: Vniuersis & singulis pra-
sentes literas, vel prasens publicum Priui-
legii instrumentum visuris, lecturis, &
audituris salutem ab eo exoptamus, qui o-
mnium est vera salus. Eorum qui in excel-
sa alicuius ciuitatis specula constituti sunt,
aliorumq; utilitati & gloria consulere de-
bent, munus illud esse videtur, vt pro re-
bus bene & laudabiliter gestis, viris pra-
stantibus praemium aliquod reddere stude-
ant, vt & ipsi ad maiora sublimioraque
magis ac magis excitentur, & alii ad vir-
tutes amplexandas, praeclearaque facinora
obeunda eorum exemplo alliciantur. Quod
sanè cum in rebus aliis consentaneum est,
tum verò imprimis, quando quis in aliqua
adipiscenda scientia diu noctuq; insudaue-
rit, vt tandem ex amaris studiorum radi-
cibus dulces aliquando fructus percipiat,
ceteris autem ad easdem sibi comparan-
das scientias, igniculos quosdam iniiciat.

illi

Illi verò, qui de SS. Theologia bene meriti
 sunt, digni præ cateris nobis videntur, ut
 amplissimis præmiis cumulentur, eoq;
 magis, quo sacra hæc facultas cateris o-
 mnibus scientiis utilitate, necessitate ac
 dignitate omnium iudicio antecellit. Quæ
 omnia cū ita esse animaduerneret Illustris
 atq; Eximius vir, D. Iustus Baronius Vete-
 racastrensis: qui (ut nobis fideliter retulit
 atq; aliunde satis cōpertum fuit) annos cō-
 plures Heidelbergæ Electoralis Palatinus in
 Germania Metropoli didicit partim, par-
 tim, q; utrūq; dolet, Caluini hæresim do-
 cuit: nunc vero Dei benignitate abhinc
 circiter sesquianno ad Catholicam ortho-
 doxam fidem seriò conuersus, & Catholi-
 corū Theologorū scriptis, partim antea, par-
 tim nunc euoluendis, & propriis aduersus
 hæreses lucubrationibus cudendis edēdisq;
 tā præclaros in SS^{ta} Theologia progressus fe-
 cit, ut in hac Ill^{ma} Academia nostra Peru-
 sina rigoroso examini subiectus, abun-
 dantissime omnium expectationi satisfecit,
 ac præclaram insuper linguarum
 Philosophiæque cognitionem ac morum

probitatem nobis demonstravit. Quibus
 eum scientiis & moribus cum præditum
 esse nobis innotuerit, rationi consentane-
 um esse duximus, ut tantis eius meritis
 decus illud & ornamentum tribueretur,
 quo dignus ab omnibus existimaretur.
 Quod cum à nobis summa cum modestia,
 proprio tamen quodam iure efflagitaue-
 rit, libenti animo morem illi gerendum es-
 se duximus. Quocirca Nos Saluutius de Sal-
 uutiis Vicarius præcipuū & eruditū virum
 D. Iustum Baronium, nobis & R^{do} Decano
 per R^{dum} & Excell^{um} Sacra Theologia ac
 Philosophia Doctorem D. Alexandrum
 Iouium de Perusia, Promotorem ab eo se-
 lectum, suo & R^{di} ac Excellentis Patris
 Magistri Anselmi de Septiis Perusini Or-
 dinis Seruorum, Sacra Theologia ac Phi-
 losophia Doctoris compromotoris nomine
 presentatum, ut iuxta eiusdem Collegii le-
 ges tanquam dignus ad publicum examen
 admitteretur, hoc eodem die, & loco infra
 scripto super pūctis sibi heri in sacra Theo-
 logia ac Philosophia: In Theologia ex lib.
 3. Sent. distinct. 5. & ex eodem lib. 3. Sent.
 Dist. 6. in Philosophia verò tex. 67. lib. 3.
 Phy-

Physicor. sorte assignatis, publicè exami-
 nandum esse decreuimus. Itaq; hodie super
 eisdem punctis, rigoroso examine facto per
 R^{dos} Patres & clarissimos dicti Collegii
 Doctores num XXII. ibidem collegialiter
 coadunatos, & collegium ipsum constitu-
 entes, periculum de ipsius eruditione faci-
 mus. Cum igitur in legendo, disputando,
 & loca difficilissima interpretando, obiection-
 nibusq;, & argumentis sibi factis subtili-
 ter respondendo coram nobis se præclare
 gesserit, summa omnium cum laude & ap-
 plausu: iure & merito per omnia secreta
 suffragia affirmatiua in A littera reddi-
 ta, nulla R, reprobatiua in contrarium re-
 perta, & sic nemine penitus penitusq; ac o-
 mnino discrepante fuit approbatus. Do-
 ctoralique laurea in SS^{ta} Theologia ac
 Philosophia dignissimus declaratus. Nos
 itaque Ioann. Baptista Dionysius Decanus
 prædicti & eruditissimi D. Iusti doctrina,
 probitate, aliisq; meritis, quæ in decoran-
 dis tam de Iure, quàm de consuetudine re-
 quiruntur, perspectis, de mandato prædicti
 Admodum R^{di} D. Proepiscopi, de consensu

omnium Patrum & examinatorum praedictorum, & auctoritatibus quibus fungimur, CRISTI & B^{mz} Matris semper Virginis Mariae nominibus repetitis, habito processu, & debita informatione super fide & Religione Catholica eiusdem peritissimi D. Iusti, & facta per ipsum in manibus nostris palam & solenniter fidei professione, iuxta Bullam felicis recordationis Pij Papa IV. eundem D. Iustū uti meritissimū in Sst Theologia ac Philosophia graduandum, doctorandum & laureandum (non obstante uxorem & liberos ipsum habere) esse decreuimus, ut in Doctorem pariter & Magistrum graduamus, doctoramus, & laureamus, & in aliorum Sacra Theologia ac Philosophia Doctorum numerum aggregamus. Cui sic creato & promotō humiliter acceptanti omnem potestatem, & facultatem legendi, concionandi, disceptandi, docendi, sacras literas interpretandi, & glossandi damus atq; concedimus, ita ut gaudeat & fruatur, ac frui & gaudere possit & valeat omnibus & singulis Privilegiis, prerogatiuis,

uis, immunitatibus, libertatibus, antelati-
 onibus, fauoribus, honoribus & gratiis,
 quibus ceteri in eisdem facultatibus Do-
 ctiores & Magistri gaudent, & fruuntur,
 ac frui & gaudere ubiq; possunt, & debet,
 ac si in alia quavis generali studiorum A-
 cademia ipsum Doctoratus gradum ade-
 ptus fuisset. Demum omnia insignia Do-
 ctoratus & magisterii ad laudem & glori-
 am Omnipotentis Dei illi tribuimus. Pri-
 mo librum clausum, postea apertum da-
 mus: secundo annulo aureo desponsamus:
 tertio biretum in signum laurea capiti im-
 ponimus: quarto Cathedram magistralem
 assignamus: quinto osculo pacis oscula-
 mur. Demum paternam concedimus be-
 nedictionem per eum, qui trinus & unus
 regnat in secula seculorum. Quibus omni-
 bus per R^{dum} Decanum peractis, Nos Sal-
 uentius Vicarius mandamus infrascripto
 dicti Collegii Notario, ut publicum & au-
 thenticum hisce de rebus conficiat instru-
 mentum, illudq; Collegii Sigillo muniat,
 subscribat, registret, ac publicet. Data & a-
 cta fuerunt hac Perusia, in loco capituli
 Cathe-

170 IUSTI BARONII VETER.

Cathedralis Ecclesie Perusinae, ad hæc solito & consueto: sub Anno Domini, Mille-
simo Sexcentesimo secundo, Indictione 15.
tempore Pontificatus S^ml D. N. D. Clemen-
tis Divina providentia Papa VIII. Anno
eius XI. die verò Iouis, 26. Septembris, præ-
sentibus ibidem Illustribus & generosis
viris, D. Rudolpho Chuen Barone à Bela-
sio, & D. Ioan. Erasmo Chuen Barone à
Belasio, & Excellentissimis D. D. Gregorio
Bernitio Wratislaviensi, Presbytero, Ca-
nonico Cathedralis Ecclesie Wratislavi-
sis, & Collegiatae S. Crucis Decano: & Io-
anne Zoller, Ecclesie Cathedralis Curien-
sis Canonico, Sacrae Theologiae ac Philoso-
phiae Doctoribus, testibus ad prædicta vo-
catis, habitis specialiter atq; rogatis. Assen-
tibus etiam ibidem pro honore ac dignita-
te actus huiusmodi quampluribus aliis
nobilissimis & præstantissimis viris.

Locus appensæ Sigilli,
& subscript. Notarii.

TESTI-

TESTIMONIUM

FACULTATIS IURIDICÆ, IL-
lustris Academ. Senensis.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI
Iesu Christi Amen.

BARZELLINVS Barcellinius Ce-
senatensis, Protonotarius Apostoli-
cus, S^mi D. N. Papæ utriusque signa-
tura Referendarius, & Ill^mi ac Reu^mi D.
Francisci Mariæ Taurusi S. R. E. & S.
Mariæ super Mineruam Presbyteri Car-
dinalis, & Archiepiscopi Senarum sexti,
in Spiritualibus & Temporalibus Vicari-
us Generalis, & ad infra scripta specialiter
deputatus, Vniuersis & singulis mundi
Principibus atq; Prælati, omnibusq; aliis,
ad quos præsentis nostræ peruenerint, ma-
ioribus debitam reuerentiam, amicis quo-
que, & cæteris salutem, & prosperos ad
vota successus. Gloriosa scientiarum Ma-
ter Senarum Vrbs præclarissima & vene-
randa clarissimorū Doctōrū auctoritas,
quæ præcunctis sidereis splendoribus obti-
net principatum, illos duntaxat ad publi-
cam

cam Licentiam, & Cathedram Doctore-
 am extollit, quos certamen generalis exa-
 minis dignè ad id promouet per concur-
 rentem virtutem, & excellentiam meri-
 torum, ut sic promoti apud vniuersos
 Mundi Principes, & Rectores pro eorum
 assistentia ceteris aliis hominum generi-
 bus, singulis dignitatibus, & honoribus
 merito præferantur. Cum igitur Magnifi-
 cus & Excellens D. Iustus Baronius Vetera-
 castrensis Germanus, S. Theologia Doctor,
 quem tunc præcipuè vitæ, scientiæ, mo-
 rum, honestatis, atque virtutum specialis
 prærogatiua sublimauit honoris. Quando
 coram nobis pro recipiendis punctis, & in-
 trando Iuris Canonici, & Civilis faculta-
 tum examen per Magnificos & Excellen-
 tissimos vtriusque Iuris interpretes Do-
 minos, D. Hippolytum Carolum de Pico-
 lomineis, Dominum Alexandrum Tha-
 ium, Franciscum Accarissum, tertia
 partis, quæ appellatur ciuitas vrbs uni-
 uersæ Senarum, pro hoc tempore vexilli-
 ferum, & Dominum Alcibiadem Lucari-
 um, Patritios Senenses, promotores suos
 fuis

fuit presentatus. Et iuravit prout in Bulla
 Pii Papae quarti. Et ad earandem utrius-
 que Iuris facultatum examen die infra-
 scripta priuata, tremenda, ac rigorosa ex-
 minationi omnium, & singulorum Do-
 ctorum Collegii Vniuersalis studii Senensis
 predicti, ad hoc specialiter congregati, se
 ultrò tanquam vir doctissimus & fortissi-
 mus animosè subiecit. Et ita in dicto suo
 riguroso examine, postquam puncta infra-
 scripta in dictis Iuris Canonici, & Ciuilibus
 facultatibus ei per nos more solito speciali-
 ter assignata, videlicet C. Primum de Bi-
 gamis. L. Non seruum C. de Rei vendica-
 tion. elegantissimè & doctissimè recitauit,
 ita egregie argumenta resumpsit. subtili-
 terq; & copiosè resoluit, quod post longum
 & rigorosum eius examen tam à nobis,
 quam ab omnibus Doctoribus dicti Colle-
 gii ibidem presentibus concordi voto, atq;
 consensu, & nemine penitus penitus dis-
 crepante miro modo fuit approbatus, eiq;
 licentiam se doctorandi, & doctoratus in-
 signia recipiendi, tanquam viro dignissi-
 mo concessimus gratiosè. Consideratis igitur

tur scientia, etate, vitæq; ac morum bonitate, aliisque plurimis probitatis, & virtutum meritis, quibus ipsum Altissimus insigniuit ac decorauit, sicuti tam hodie in suo rigoroso examine, quam aliis suis publicis & priuatis actibus mirabiliter fuit comprobatus: utq; tandem studiorum ac laborum suorum coronam meritam valeat reportare, eiusq; gloria aliis trāseat in exemplum, tantoq; magis accendantur ad studia, quanto vberioris dono gratia inde nouerint se refertos: Nos Barzellinus Barzellinius Vicarius prefatus auctoritate predicta Ill^{mi} & Reu^{mi} Dⁿⁱ Archiepiscopi Senensis, & sui Cancellariatus Officii nobis concessa, & qua fungimur in hac parte de consensu & voluntate dictorum Doctorum omnium ibidem presentium, eūdem Dominum Iustum Baronium Veteracastrensem Germanum in dictis Iuris Canonici, & Ciuilis facultatibus Doctorem & Magistrum fecimus, decreuimus, pronunciauimus, & declarauimus: Dantes & concedentes sibi nomen & titulum Doctoratus, & in dictis facultatibus utriusque
 Iuris

iuris legendi, glossandi, interpretandi, con-
 sulendi, iudicandi, cathedram doctoream
 ascendendi, ceterosq; doctoreos actus faci-
 endi, & exercendi, hic Senis, & ubiq; loco-
 rum, quo se duxerit conferendum, plenam
 & liberam sibi de cetero concessimus fa-
 cultatem & potestatem. Demumq; ut i-
 dem D. Iustus Baronius Veteracastrensis
 Germanus possessionem sui Doctoratus hu-
 iusmodi ab omnibus videretur adeptus,
 Magnus & Excellentissimus D. Fran-
 ciscus Accariscus Praefatus, habita prius de-
 super luculenta & ornatissima oratione,
 nomine suo, pariter aliorum suorum com-
 promotorum, Doctoratus insignia per i-
 psum humiliter postulata, sub hac forma
 tradidit gratiosè. Quia primum libros di-
 ctarum facultatum clausos, mox assigna-
 vit apertos, Biretum doctoreum capiti suo
 imposuit, eius digitum aureo annulo more
 solito subarravit, eiq; pacis osculum præbu-
 it, Deum quoq; Omnipotentem humili-
 ter exoravit, ut tam prædictum D. Iustum
 Baronium Veteracastensem, quam omnes
 alios Christi fideles sua sanctissima benedi-

ctione sanctificare dignetur, per infinita
 secula seculorum Amen. In quorum omni-
 um & singulorum fidem & testimonium
 premissorum presentes nostras litteras fie-
 ri, & per Notarium nostrum publicum in-
 fra scriptum subscribi, sigillique Pontifica-
 lis prefati Ill^{mi} & Reu^{mi} D. Archiepiscopi
 Senensis iussibus appensione solita com-
 muniri. Datum & actum Senis, in aula
 magna Palatii Archiepiscopatus, Anno
 ab Incarnatione Dominica, Millesimo
 sexcentesimo secundo, Indictione decima
 quinta: Die vero trigesimo mensis Se-
 ptembris. Clemente Octavo Pontifice Ma-
 ximo, Rodulpho II. Romanorum Impera-
 tore, & Ferdinando Mediceo Magno He-
 truriae Duce. Presentibus ibidem Perillu-
 stibus Dominis, D. Antonio Tieni Comi-
 te Vicentino, D. Nicolao Valmerana, Co-
 mite Vicentino, D. Bartholomao Finetto
 Senensi, Testibus vocatis specialiter & ro-
 gatis.

Locus appensi sigilli.

EPI-

EPISTOLA XI.

ROBERTVS BELLARMINVS
 Politianus, S.R.E. Cardinalis, Archi-
 episcopus Capuæ

IUSTO BARONIO VETERA-
 castrensi S.

Clarissime Domine.

LITTERÆ tuæ die 30. Iunij scriptæ, vnâ
 cum libro *Præscriptionum aduersus hæ-
 reticos*, quas dudum perijsse arbitrabamur,
 ecce mihi de improviso ex *Prochira* Insula
 à quodam mei amantissimo Episcopo adfe-
 runtur. Vbi latuerint tamdiu, vnde ad Insu-
 lam appulerint, nemo qui sciat. Ac ne qui-
 dem ipse Episcopus referre potuit, quis is
 sit, qui ei litteras & librum deferendum de-
 dit. Inscriptio nominis mei, præsertim cum
 in ea Insula sacerdotium possideam, fecit,
 vt litteræ non perirent. Itaque hæc ipsa die,
 qua litteras tuas eruditissimas, & suauissi-
 mas accepi, gratulandum tibi esse duxi,
 quoniam * *filius tuus mortuus erat, & reui-
 xit, perierat, & inuentus est.* De literario tuo
 labore nihil habeo quod dicam, cum librū
 nondum perlegerim, spero talem me inuen-
 turum, qualia cætera sunt, quæ à te prodie-
 runt, in quibus neque sermonis elegantia
 neque sententiarum grauitas desideratur.

R 2 Vale

* *Luc. 15.*

24.

Vale mei memor, & sarcinam meam Episcopalem precibus tuis subleua. Datum Capuae. die 8. Nouemb. M. DCII.

EPISTOLA XII.

CÆSAR BARONIVS SORANUS S. R. E. Cardinalis

IUSTO BARONIO VETERACASIRENSI S.

TVAS *Iuste Baroni* litteras diu desideratas eadem magna animi mei voluptate accepi, & libenter legi. Præter enim manifestissima amoris erga nos tui & observantiae indicia, id quod summopere de te audire volebam, significabant. Et primum quidem, quod earum me cupiditate incendebat, id erat, quod itineris vestri successus oppido me sollicitum habebat, cum non ignorarem multa solere proficiscentes incommoda comitari, lassitudines, æstus, frigora, insidias, & mille pericula, quæ quis aliquando diligentius vitare cogitat, eo citius incurrit. Sed, ut spero, eum viæ ducem consequutus es, qui Iunior^a *Tobiam* suæ fidei concreditum incolumem à patre & abduxit, & ijsdem auspicijs reduxit. Cui te, cæterisque Sanctis omnibus ut semper quàm studiosissimè commendes, & gratissimè.

^a *Tobia. 5. 5*

pi-
Ca-
A-
E-
a-
a-
r-
te
m
a-
is
i-
-
o
,
e

tiffimum exhibeas censeo, tãquam ijs, quo-
 rum apud Deum suffragijs & autoritate
 preces nostras promoueri & posse & solere
 certò scimus. Hæc enim sola est via, qua nos
 erga Sanctos pro eorum in nobis custodi-
 endis vigilantia gratos demonstramus. Al-
 terum quod me in ijsdem delectabat, illud
 erat, quod feliciter *Doçtoratus* gradum na-
 ctus es: quem honorem tibi cum Ecclesia
 Dei communem esse & opto, & futurum
 spero: imò ipse an tibi magis ea de causa
 gratuler, non satis constituo, quod illam
 per te aliquando ornatum, tuisque labori-
 bus illustratum iri confido. In quo ne me-
 am de te opinionem fallas, quantum verbis
 consequi possum, & obsecro & oro. Ma-
 gnum tibi, mi *Iuste*, cum hac dignitate onus
 impositum est, magna sollicitudo accreuit,
 præmiorum vero spes & expectatio maxi-
 ma manet, si illam ea fide & constantia tue-
 bere, qua & te velle credo, & posse confido.
 Incumbe igitur, incumbere obsecro, & in id
 omnes neruos, omnem industriam confer,
 vt quæ te ex inimico & lumini rebelli gra-
 tiæ suæ restituit, illa ex sua in te humani-
 tate & amicitia mercedem reportet, vt tuis
 scilicet studijs & sudoribus istis in partibus
^b *tentorijs sui funiculos dilatet*, hoc est, quem *Isai. 54. 2.*
 deujs omnibus misericordiæ sinum cupi-
 dissimè pandit, per te gaudens & læta im-

pleat. Quæ cohortatio nec longior esse debet, cum te tua sponte satis propensum ad quiduis pro ea laboris & discriminis subeundum persuasum habeam, nec omittenda tamen fuit, cum hoc apud te vellem relinquere, nil mihi magis curæ esse, nisi ut collatam tibi recenter honoris lauream omnium virtutum phaleris quàm maximè cohonestes. Vale Romæ. 18. Calend. Decemb. M. DCII.

 EPISTOLA XIII.

IUSTVS BARONIVS VETER-
racastrensis

LVDOVICO SCHWARTZ-
 maiero à Schwartzenu, S. Cæs. Maiest.
 à Consilijs S. P. D.

AD 18. Calend. Decemb. cum post semestrem absentiam domum ex Vrbe reuersus essem, primo cubiculi ingressu operientes inueni suauissimas^a literas tuas, Illustris D. Ludouice, quinto ante mense ad me datas, plenas amoris, plenas pietatis. Quibus vt confestim responderem, non solum illa ipsa causa monebat, sed & hæc altera, quod tu tanta dignitate vir, inter Imperatorios consiliarios haud postremus, me (quod ait^b S. Hieronymus) *primus ad officium*

*a Vide Sup.
 lib 3. Epist.*

*b Epist. 131.
 ad Ruff.*

um provocasses, mihiq³ secundas in respondendo partes dedisses. Quod non de incuria tui, sed de ignorantia venisse existimabis. Si enim quicquam de tuo in me affectu scissem, præoccupassem sermonem tuum. Iam verò præoccupatus, quid optatius respondebo, nisi gratam mihi fuisse & gratulationem tuam, & cohortationem. Gratulationem, de Catholica matre Ecclesia inuenta: cohortationem, de eadem constanter tuenda propugnandaque. Quo utroque nihil Sanctius à te dici potuit, viro iisdem pariter mecum erroribus diu quassato, atque eadem tandè cœlesti gratia condecorato, ut si eandem tibi gratulationem reponam, nullo te aptiori munere remuneratur⁹ videar. Sanè cæcus ego amenisque diu in tenebris palpitavi, ac cæciores etiam me per præcipitia duxi, traxique. Illuxit tandem ille, ^{c Ioan. 1. 9.} qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: meque iam ad portas inferi progressum, superas reuocavit ad auras, verumque paternæ domus ostium monstravit, patrum pedibus tritum, Martyrum sanguine signatum, orbis fide cinctū. Quod ut ego iustis illis *Caluini* aut *Ipeluncis Lutheri* iterum permutem, nulla me vnquam vis, nulla fraus adducet. Quin sto ego in fide Catholica Romana cum pijs maioribus nostris sincerus firmusque, sto securus in-

star muri ahenei, futilia inimicorum tela ex alto despiciens, & stultitiam eorum patienter miserans, Deo etiam quotidie pro ipsorum cæcitate humiliter supplicans. De scriptis meis sanè vellem penes me quoque tantum facultatis esse, qui aliquid utilitatis reuocandæ patriæ afferre possem. Sed profectò vides quis sim, primi tyrocinij miles, nec maiorum ad edomandos familiares virium, quam Dominus ipse fuit, quem disertè^d Euangelistæ parum virtutum in patria sua edidisse scribunt, ideoque cum infauisto hoc Epiphonemate inde migrasse: non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua. Cæteroque *Apologia* iam vernaculè reddita est. Nouorum scriptorum nescio quantum deinceps eliminare possim, qui vt^f Sanctus olim *Iacob* seniori *Lia* Iuniore *Rachelem* dudum sibi dilectam superinduxit, ita ego nuper pristino meo Theologiæ studio sororculam Iurisprudentiam aliquandiu deperditam adiunxi sociam, mihiq; etiam publicè *Senis* desponsatam huc aduexi, familiariorē deinceps, vt vides, operam futuram.

De cætero itinere *Italico* omnia cesserunt (Dei gratia) felicissimè. Tesseram hospitij *Baroniani* ipsū cognomentū, vt vides, asportavi. Illustre dices & splendidū, fateor, sed ei merito qui dedit, non meo qui abstuli. Caue enim

d *Matth.* 13.
57.

Luc. 4. 24.

Ioan. 4. 44

e *Ibidem.*

f *Genes.* 29.
23. 28.

ue enim ^g nos eius astimes virtutibus. In illo ^{Hieron. E. pist. 5. ad Fiorant.}
 conspicias expressa sanctitatis vestigia: & ego
 cinis & vilissima pars lutu, & iam favilla, dum
 vertor, satis habeo, si splendorem morum illius
 imbecillitas oculorum meorum ferre sustineat.
 Ille modo ^h se lauit, & mundus est & tanquam ^{h Psal. 50. 9.}
 nix dealbatus. Ego cunctis peccatorum sordi-
 bus inquinatus, diebus ac noctibus opperior
 cum tremore ⁱ reddere nouissimum quadran- ^{i Matth. 5. 27.}
 tem. Sed tamen quia ^k Dominus soluit campe- ^{k Psal. 145. 8.}
 ditos, & ^l super humilem, & trementem verba
 sua requiescit, forsitan & mihi in sepulchro ^{l Isai. 66. 2.}
 scelerum iacenti dicet, Iuste ^m veni foras. Va- ^{m Ioan. 11. 44.}
 le Illustris Domine, meque in numero
 tuorum habere perge. Mogunt. 12. Calend,
 Decemb. M. DCII.

EPISTOLA XIV.

IUSTVS BARONIVS VETERA-
 canstrensis

ANDREAE VERMADIO, SO-
 cietat. Iesu Theologo.
 S.P.D.

REVERSUM me ab Italica profectioe,
 iam fama puto intellexisti. Gratulare
 igitur reduci. ^a Nam multi egressi, nunquam ^{a Cic. in Tusc.}
 domum revertere. At tu seriem successumq;
 itineris mei nosse desideras? Accipe igitur,
 & ignosce festinanti Minerva, quam in me-
 R s is ple-

6 Plutarch.
de solert. a-
memab.

is plerunque dominari animaduertisti. Iter
ingressus sum 4. Non. Maij: sed ita ut quem
admodum^b apes ventosam aliquod promonro-
rium circumuolitura, ne Zephyrorum vidi-
ijciantur; se ipsas exiguis lapillis in os sumptis
quasi saburrant: sic ego quoq; me in vestro-
rum illorum finium pratergressu omnino
ficto scemate & magno silentio saburrand-
um duxerim. *Argentiam* hoc vultu sal-
uus appuli, ibidemque triduo *Winden-*
ica nostro & *Iohanne Henrico* fratre expe-
ctatis, tandem recta *Basileam* contendimus.
Vbi pomeridiani temporis opportunitate
inuitante, scholas Theologorum ingressi,
occasionem disputandi quaesiuimus, sed
non nisi finitis lectionibus inuenimus. Hic
enim consalutato Professore publico *A-*
mando Polano, *Iosephus* noster nescio quam
Ratisbonensis Colloquij iniiciens mentionem,
tempestiuam sermocinationis materiam
subministravit. De qua vltro citroque ses-
qui horam fermè velitati, verborum satis,
intelligentiæ parum apud miserum *Calui-*
nianum deprehendimus, qui statum quæ-
stionis de iudice controuersiarum ac diuino-
rum librorum *Canone* non aliter quàm ex
calumniosis illis magistrorum suorum præ-
iudicijs repeteret: Maiorē scilicet *Scripturæ*
quàm *Ecclesiæ* auctoritatem esse, ideoq; scri-
pturæ fidē vel auctoritatē ab *Ecclesiæ* nu-
tu neu-

tu ne utiquam dependere, multo minus Ec-
 clesiam controuersiarum iudicem esse pos-
 se. Nugas. Quasi verò quisquam nostrum
 Scripturam Ecclesiæ tanquam partem par-
 ti opponendam contendat, ac non potius
 id agatur, sincerum Canonem sua scilicet
 natura *Ἰερόπνευσον* atque *ἀξιόπιστον*, non ali-
 unde quàm ex Ecclesiæ magisterio nobis, no-
 bis inquam, innotescere, sinceram etiam
 Canonis interpretationem non aliunde
 quàm ab eiusdē Ecclesiæ oraculo nobis re-
 quirendam, aut expectandam. Sed hæc tu
 scis PATER, ille nesciuit, aut saltem se scire
 dissimulauit. Itaque nos eum non sine ami-
 ca cohortatione atque obsecratione dimi-
 simus, ac proximo biduo *Lucernam* perre-
 ximus: vbi celebrata Pentecoste ac salutatis
 Patribus vestris, nec non *Capucinis* Mona-
 chis, sexto post die, ipsis *Calendis Iunijs*
 profundissimis *Gottardi* niuibus ac rigi-
 dissimo gelu superato, visoque *Iouij* nostri
Como, magnum illud *S. Ambrosij Mediola-*
num attigimus. Quod vt verè tibi dicam,
 minus fama quàm re habere videtur. Vidi-
 mus quæ vsquam fuerunt *ἀξιόμνημόνευτε*.
 Nec tamen quia ea vndiquaque nunc per-
 uulgata, quicquam huc infarciendum du-
 xi. Sepulchrum *S. Ambrosij*, sepulchrum *S.*
Marcellinae Virginis, & *S. Simpliciani* simul
 venerati, ad pijssimi illius *Ambrosij* Iunioris
 (Caro-

(*Carolus Borromaeus* dico, admirabilis sanctitatis virum, dum vixit, admirabilioris gratiae dum mortuus est) manes in Summa Aede perreximus: cuius tu cultum, cuius miracula si videres, nulli Sanctorum aut Martyrum postponendum iudicares. *Mediolano* nos auocauit *Placentia*: *Placentia*, *Parma*, vbi spectaculum celebritatis *Festi Corporis Christi*, eam nobis religionis Sanctimoniam, eam Cleri populiue conseruatam multitudinem monstrauit, quam nullus ante hac vsquam *Germania Italiana* locus. Hinc *Regio*, & *Mutina* obiter lustratis, celebrem illam & vetustam studiorum matrem *Bononiam* capessimus, ibiq; visendis templis, spectandis celebrioribus monumentis, salutandis conterraneis *Germanis*, quorum ibi maiorem multo, quam *Senis* aut *Perusiae* numerum inuenimus, corporibus denique reficiendis, ac lassitudine abstergenda, integrum quatrimum consumpsimus. Amæna vrbs, splendida, amica Musarum hospes, nec minus pietatis, cuius haud falsum nobis gustum *S. Dominici* familia, Hispanicis structuris indies magnificentior, nec non nobile *S. Michaëlis in Busco* Monasterium, amænissimo ac saluberrimo extra muros colle inædificatum, præbuit. Sed pietatem Sanctissimæ *Lauretanae domui* reseruo, non tam marmore suo, quàm
 Beatissi-

Beatissimæ Virginis rudi latere admiran-
 da. Est hic non statim die (quod ille de fano
 suo gloriatur) sed toto anno maximus vni-
 uerso ex orbe hominum confluxus, maxi-
 ma ex Gallijs, Germania, Hispanijs, Indijs ac
 remotissimis etiam populis, Principibus ac
 Regib⁹ anathemata, quotidiana sanationū
 miracula: plurimæ res aguntur, plurima vota
 suscipiuntur, plurima redduntur, quæ nos o-
 mnia oculis nostris vidimus, & piè mirati
 veneratiq; sumus. Præcipuum duco, quod
 in ipsa interiori edicula, quàm oculis suis &
 sermone, vita sua & obsequiis, somno suo
 & vigilijs, precibus suis & gemitibus, cor-
 poris denique & animi sui agitatione toti-
 es ille Princeps salutis nostræ *Iesus*, toties
 castissima mater eius *Maria*, toties beauti-
 ma auia *Anna*, cum fidelissimo nutritore
Iosepho, cū perpetuis *Angelorum* excubanti-
 um choris cōsecrarunt ac dedicarunt, non
 solum preces ad Deum fundere, non solum
 feliciter propè confecti itineris gratias red-
 dere, sed & ad maiorem constantiam, ad
 maiorem firmitudinem & felicitatem cœ-
 lestis hostiæ alimoniam accipere licuit. Fa-
 cio hæc maximi, & faciunt mecum tot reli-
 giosi millenorum peregrinorum animi, qui
 quotannis magno ardore, maximo nume-
 ro ad hanc Sacram ædem tanquam ad ve-
 rissima Saluatoris incunabula conuolant:
 maiori

Plin. lib 9
Epist 39 ad
Musianum

*ad Plin. in
Paneg. Tra-
ian. dicto.*

maiori certè iure, quàm ille *Traiano* suo a-
dulatus, ^d *Veniet* inquit, *tempus*, quo posteri
visere, visendum tradere minoribus suis gesti-
ent, quis sudores tuos hauserit campus, que re-
fectiones arbores, que somnum saxa prætexe-
rint, QVOD DENIQVE TECTVM MAGNVS
HOSPES IMPLEVERIS. Sed habes hæc omnia
elegantissimè à *Tursellino* tuo libris quinq;
èxplicata. Ego igitur me hinc ROMAM Ca-
pello, quo 12. Calend. Iulij delatus, octavo
circiter die post, (interea secreto itinerum
molestijs leuatus) à quodam *Congregationis*
Oratorij Presbytero, *P. Iuvenale Ancina*,
nunc Episcopo *Saluciàno* in *Sabaudia*, in
Palatium Ill^{mi} *Cardinalis Baronij* introdu-
ctus, ab eodemque humanissimè exceptus
sum, verbo, nutu, complexu, & constanti
denique ad abitum vsque meum hospitio.
Quo si manerem in Vrbe vel voluisssem, vel
potuisssem, perpetuo (ipso crebro pollicen-
tè) vti licuisset. Hic vero quid? Omnia bo-
nitate, pietate & religione plenissima. Atq;
vt præteritis publicis, quæ iam vbiq;e satis
peruulgata, priuata aliquot nostra comme-
morem, BARONIVS titulis *Cardinalis*, &
imaginibus, & signis, cæterum modestia, la-
bore, humanitate, studio, nullo priscorum
suorum *Oratorij* Collegarum inferior, mē-
sa sua perpetuò me dignatus est: fratrem in
eodem triclinio aulicis primarijs assidere
voluit:

voluit: sumptis prandijs quotidie mecum
 semihoram de rebus meis & deplorato Ger-
 mania statu suavissime contulit, rheda et-
 iam sua saepissime ad Sacra, ad Cōgregatio-
 nes, ad sacrorū locorū visitationes abduxit.
 Deniq; cū medius annus multū in cōmatan-
 dis hominū moribus valeat, in Principū plus,
 summum illud purpura decus (quod ille quo-
 que Traiano suo laudi dat) adeo nihil de
 pristina ipsius humilitate immutavit, ut li-
 berum sit veniente per publicum principe sub-
 sistere, occurrere, comitari, praterire. Ambu-
 lat inter suos, non quasi Dominus, sed pa-
 rens: & copiam sui non ut imputet facit. Heret
 lateri eius quisquis accessit, finemq; sermoni
 suus cuiq; pudor, non eius superbia facit. Emi-
 net, excellit, tum virtute, tum corporis proce-
 ritate & gravitate elatior aliis & excelsior.
 Cætera par omnibus, & hoc saltem maior, quo
 melior. Magna ante eum, magna post eum, in-
 xta tamen maxima quies, tantum ubiq; silen-
 tium, tam altus pudor, ut ad par vos penates,
 & larem angustum ex domo Principis mode-
 stia & tranquillitatis exempla referantur. I-
 pse autem ut excipit omnes? ut expectat? ut ma-
 gnā partem dierum inter tot variorum la-
 borum curas quasi per otium transigit? In mē-
 sa eius non aurum, non argentum, nec exqui-
 sita ingenia canarum, sed frugalitas sine de-
 fectu, suavitas iucunditasq; cum gravitate.

Neque

e Caius Plin-
 ni. in Pane-
 gyr. Traia-
 dict. Unde
 & cætera
 pleraq; mē-
 tuata.

Neque enim aut peregrina superstitionis mysteria, aut obscena garrulitas triclinio eius oberrat, sed auscultationes sacræ, benigna inuitatio, liberalis sermocinatio, studiorum honor. Inde illi parcus, & brevis somnus, à somno salutationum studiorumq; vicissitudo: quibus ita immergitur, vt cæteros sui similes doceat inertia renunciare, paulisper delicias differre, paulisper ex illo felicitatis somno velut excitatos induere armaturam fidei, desudare pro Ecclesia, esse deniq; quod concupierunt, nec ideo tantum velle Cardinales fieri, vt fuerint. Hæreticos non tam acerbè odit, quàm humaniter illis condolet. Rem Sacram quotidie facit. Vesperas singulas Litaniis ad Sacelli sui aram cum aulicis prouolutus claudit, precum ac suspiriorum nunquam liber, hilari cæteroqui vultu ac pectore, Catechetes etiam Palatii sui diligentissimus, non quotidianis solum ad mensam lectitationibus: sed & Sabbathinis Euangeliorum interpretationibus: quibus pridie Dominicarum publicis in Vrbe Concionibus rectius assequendis aulam suam vtilissimè solet præstruere. Deniq; vt infinita prætermittam, sacrarium quasi religionis est, Oraculum totius orbis, vndiq; ad eum concurritur, vndiq; scribitur: nullus prope in Italia aut Germania, nullus in Gallia aut Belgio, nullus in Hispania aut Polo-

Polonia aut aliis longius distitis prouinciis illustrior est, quin amicitiam eius appetat, nullus doctior, quin notitiam, nullus afflictior, quin opem & patrocinium. Tanta quotidie facit, quanta si quisquam illorum veterum præstitisset, illi iam dudum (vt ait^f ille) *radiatum caput & media inter* *f* *Plin. ibid.*
Deos sedes auro staret aut ebore, augustioribusque aris & grandioribus victimis inuocarentur. Sed quid ego hæc tam peruulgata toto orbe repeto? Ad priuata potius nostra accingor, ad singularem illam propeque ditissimam nobis in aula Baroniana exhibitam humanitatem, ad beneuolentiam, ad liberalitatem, ad studium, ad benignitatemque certè omnia tãta fuerunt, vt illis explicãdis par esse sermo meus neuiquam possit. Semel dicam: vt filii excepti fuimus, vt filii habiti, vt filii tractati ac dimissi: neq; id à Baronio tantum, verum etiam à cæteris Illustrissimis Cardinalibus, Patronis nostris, *Aldobrandino, Parauicino.* Nam *Belarminum*, quod vel maximè doleo, videre non licuit. Dilucula calorum liberiora in obeundis templis, visendis statuis & antiquitatibus consumpsimus, vsi ad hanc rem duce *Iohanne Baptista Hansenio, Baronio* *f* *Hieroni. Epist. 108. ad Domini. & Rogat. in lib. Pæ*
 tum nostro à Secretis, dupliciq; fructu, voluptatis ac doctrinæ inuitati. *Quemad-*
modum enim Græcorum historias magis in-
 S telli- *rabp.*

telligunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilii librum, qui à Troiade per Leucaten, & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad ostia Tiberis nauigauerint: & Sanctas scripturas, qui Iudæam oculis contemplati fuerint, & antiquarum urbium memorias locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognouerint: ita & nobis hanc circuitiōnem nostram ad Liviū, Dionis, Plutarchi, cæterorumq; Latīnæ historiæ Principum monumenta rectius capienda, faciem prælaturam speramus. Baronius nonⁿ Platonica tantum, sed & Christiana Philosophia tempestiuè mortalitatem suam meditatus, in Ecclesia sua, vt loquuntur, *Titulari*, splendide certè à se restaurata & ornata, ante summum altare, iuxta SS. Martyrum *Nerei & Achillei* sepulchrum, viuis sibi sepulturæ locum cum hac inscriptione destinauit. APVD SS. MARTYRES PATRONOS SVOS CÆSAR BARONIUS SORANVS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS SS. NEREI ET ACHILLEI LOCVM SEPULTVRÆ VIVENS ELEGIT. ANNO IVBILÆO M. DC. Hæc de Baronio. Venio ad Pontif. Max. Venerandum certè & amabilem senem, cuius non minor in me humanitas, non minor beneficentia & pietas extitit. Vidi illum primo in Vesperis vigiliæ SS. *Petri & Pauli*, vbi pro more totus Cardinalium cœtus osculo defixo fidem reuerentiāque

h Plato in
Dialog de
Sapient.
Clem. Alex.
libr 4. stro.
Hieron. A-
pulo. nauer.
Ruffin. Cic.
1. Tuscul.
1 Eccl. 7.
40. & 38.
21.

que illi suam oppignerabat. Postridie priuatim in Vaticano, deducete me *Baronio*, ad aspectũ eius colloquiũq; admissus sum. Vbi varia de publicis & priuatis rebus nostris, de Catholicis & hæreticis, de omni etiam fortuna mea (vt humilitatem mirere) percontat⁹, præter varia amoris indicia & argumenta id tandem beneficii mihi obtulit, subsisterem *Roma*, omnem se familiam meam eo quoq; accersiturum, ac necessaria nobis subsidia paternè prouisurũ. Sed quia *beneficiorum principaliũ summa est, si illis & nõ licet uti*, modestè detrectaui, nota sanè illis ex rationibus, quibus *Marcella* suæ fastidiũ vrbis instillare conantur *Paula* & *Eustochium*, potentia, magnitudine, multitudine, ambitione hominum, qui cupiunt videri & videre, saluari & salutare, laudare & detrabere, audire & proloqui, ita vt *superbas fores & inter linguas rodentium ministrorum postes ingredi auratos sæpe cogamur*: verum multò magis longissima interiacentis soli vastitate, tum montibus *Pyrenais*, & *Alpibus*, immensisque aliis difficultatibus, quas sine præsentis discrimine familiam meam, tenellosque liberos vix superare posse videbam. Detrectaui igitur, & hoc beneficii genus cum alio permutaret petii, quod haud inuitè se facturum spondebat *Optimus Pontifex*. Quid quæris? Cætera his omnia simi-

Apud S.
Hieron. E-
pist. 17 ad
Marcell. &
congregat
in Bethlehẽ

lia. Vnum quasi *πρὸς ἡμεῖς* loco accipe. Calendis Septembribus, cum pridie in *Oratorii Sacello* ab *Ill^{mo} Sidonio Episcopo cōplemētū*, vt loquuntur, *ceremoniarū baptismaliū* accepissemus, ille ipse Pontifex non satis firma valetudine è *Quirinali* in *Lateranum* venit, ibiq; primum de geniculis ad *Scalam Sanctam* precatus, post in *Ecclesia Lateranensi* Sacris operatus, mihi & fratri frequentissimo populi conuentu, partim Dominici corporis Sacramentum, partim Christianæ confirmationis Sigillum Sanctissimis ipse manibus suis contulit & impressit. Quo die quoq; exuuiæ gētilitij cognominis nostri planè deletæ, & auspicatori hoc, quod vides, permutatæ sunt. Constringit hac humanitate sua ita omnium animos Pontifex, *vt cū maxima illi non minus atq; Imperatori illi concordia, maximus concentus omnium laudum omnisq; gloria contigerit, nihilq; hilaritati eius seueritas, nihil simplicitati grauitas, nihil humanitati maiestas detrahat:*) vt inquam in vnus eius salutem omnium vota conferantur, omnes eum vt genuinum Patrem ac cælo demissum angelum libenter colant ac venerentur. Quod quidem PATRIS nomen tanta ille benignitate, tanta indulgentia erga quosuis exercet, vt (quod maximi in Principem amoris argumentum esse voluit *m Plinius*) cum publicè inuehitur,

*l Plin. Secund. in Pa-
neg. Traia.*

m Plin. ibi.

bitur, vel importatur, non aetas quenquam,
 non valetudo, non sexus retardet, quo minus
 oculos tam fausto sydere oblectare gestiat,
 illum paruuli noscere, ostentare iuuenes, mira-
 ri senes, agri quoque neglecto medentium impe-
 rio ad conspectum eius, quasi ad salutem sani-
 tatemque prorepere. Videres solennioribus fe-
 stis referta lecta ac laborantia, ac ne eum quidem
 vacantem locum, qui non nisi suspensum &
 instabile vestigium caperet. Oppletas undique vi-
 as, angustumque tramitem relictum tibi: ala-
 crem hinc atque inde populum, ubique par gau-
 dium paremque clamorem. Vt merito cum eo-
 dem, quo cum coepi, claudam narratiuncu-
 lam meam: ⁿ Intelligamus, PATER, bona no-
 stra, dignosque nostanti Pontificis usum probe-
 mus: vota pro eo apud Superos ardentia in-
 terponamus, identidemque cogitemus, nobis ac
 toti Ecclesiae nos precari, quae pro salute eius
 precaturi sumus. Et quod praestabilius est aut
 pulchrius Dei Opt. Max. munus, quam castus
 & Sanctus, & Diis simillimus princeps?

Habes historiolum eorum VERMADI,
 quae nobis in vrbe contigerunt, tum ade-
 unda illa tum frequentanda. Accipe breui-
 ter ea, quae in reditu in Germaniam. XV.
 Calend. Octob. habitis Pontifici gratias, ac-
 ceptaque ab eodem paterna benedictione
 nec non salutatis ordine Ill^{mis} Cardinali-
 bus, Patronis & amicis, in primisq; Baronio

§ 3

nostro

ⁿ C. Plin.
 ibid.

nostro munificentissimo Patre (quid enim hospite dicam, cum illud ipsum Sanctissimum Patris nomen, leuius eius erga nos meritis videatur) non sine lachrymis exoculato, postridie cum fratre ac duobus collegii Germanici alumni *Gregorio Bernitio & Iohanne Zallero* Canonicis, illo *Vratislaviensi* hoc *Curienti*, vrbe egressus, *Lauretanaque* domo visitata, septimo post die *Perusiam* venimus, vndecimo *Senas*. Quo utroque loco quid noui nobis consilii in mentem venerit, quibus laureis redimiti & condecorati fuerimus, quia toties commemorare tædet, ac superbum forte est, en tibi litteras hac ipsa de re ad *Baronium* nostrum iam dudum exaratas. Quæ si minus tibi sufficiunt, reseruabo cætera tuo ad nos aduentui, quem propediem futurum confido. Nos *Senis* digressi, celerrimis itineribus *Florentiam* perreximus, *Italicarum* urbium quasi *Helenam*. Inde *Bononiam & Ferrariam*, quarum hæc non ciuibus solum suis inimica, plerosque *Padi* eluionibus fugat, verum & mihi parum auspiciata, qui proxime ante portam, & paulopost in medio foro cum aduesperasceret, his eadem hora, equi cæspitatoris infortunio grauissime terræ allisus, iam iam de fracta ceruice periclitari videbar. Sed manum subposuit Deus, lapsum orexit *Angelus*, viæ dux & comes, vt præter

ter

ter leuissimum cruris dolorem incommodi nihil asportauerim. *Ferrariam* exceperunt *Venetia*, prodigiola Vrbs, & cum miraculo instar *μικροκόσμος* ^o *super maria fun-* *Psal. 23. 2.*
data, spectaculum profectiois nostræ vltimum. Nam inde breui Germaniæ limitibus appulsi, patrios iterum mores agnouimus & induimus. Nam *Tridentini* & *Tyro-*
lenses, aut nostri iam sunt, aut nostris simili: notiora etiam eorundem in vulgus *κε-*
μηλια. quam vt huc accersi mereantur. De *Augusta* taceo. Quæ enim præcipua habet, tibi haud puto esse ignota. De *Herbipoli* magnam gratiam debeo Ill^{mo} *Iulio* Episcopo & *Franconia* Duci, qui transeuntem non clementissimè solum complexus, sed & triduo integro in aula sua liberalissime hospitatus, omnia amoris & beneuolentiæ signa mihi cumulatè exhibuit, professionis etiam publicæ copiam spondens, si manere secum cogitarem. Sed reuocabat me dulcis *Moguntia* mea, ad *Rheni* non vt *P Hiero.* *p* *Epist. 41.*
nymo olim visum est, *semibarbaras*, sed vt o- *ad Ruffin.*
manes nunc norunt, *sesquilatinas ripas*. Ad quas XVIII. Calend. Decemb. feliciter reuersus, finem vniuersæ profectiois meæ imposui, redditisque Deo ac piis cælitibus gratiis, præsentiam meam familiæ, operam Ill^{mo} *Archiepiscopo Moguntino* ad proximos

annos despondi. Qui ut multi sint, aliquan-
toq; felicius quam haecenus currat, tu qua-
so precare mecum sedulo, *Vermadi*, ac lon-
gum Vale. Mogunt. Non. Decemb. M.
DCII.

EPISTOLA XV.

BEATISSIMO IN CHRISTO
Patriac Domino, CLEMENTI VIII.
Pontif. Max.

IUSTVS BARONIVS VETE-
racastrensis S. P. D.

*Beatissime Sanctissimeque Pater, Domine
Clementissime.*

QVANTA mihi à pueritia *Romam* vidē-
di cupido, tantum nunc vidisse gaudi-
um, tantumq; videndi iterum atque iterum
desiderium. Non sane *Capitolii* spectandi,
aut arcum, aut circorum, aut thermarum,
aut pontium, aut obeliscorum veterum il-
lecebra, quæ voluptatis aliquantum, pieta-
tis parum habere videntur: Sed insignia illa
Christianorum Martyrum trophæa, san-
ctissima Apostolorum vestigia, & gentilita-
tis calcata, inque sublime se quotidie erigentis
vocabuli *Christiani* incunabula, quotidiana
veneratione colendi atque exosculandi cu-
piditate. Quæ mihi non minor in *Romam*
illam

illam vestram (ô beatam sedem!) quam S.

^a Hieronymo in Palestinam illam suam: in Hierosolymam, in Bethlehem. Nam & hic

Petrus & Paulus Christiani Exercitus duces sanguinem pro Christo profuderunt:

hic infinita Martyrum millia vt holocaustata Deo mactata, ^b quorum & sepulchra

venerari, & sanctas fauillas oculis apponere, quin & ore contingere frequenter licet. Hic

Diabolus & Angeli eius quotiescunque ante tumbas eorum de obsessis corporibus expellun-

tur, quasi in conspectu tribunalis Christi, atq; omnium Sanctorum confessu stantes, con-

tremiscunt, rugiunt, & sero dolent trucidasse quos timeant. Huc multi Sancti & illustres viri,

totò quotannis orbe vota & deuotiones deferunt, putantq; minus se religionis minus habere scientie, nec summam vt dicitur manum accepisse vir-

tutum nisi in illis Christum adorarint locis, quæ Apostolorum vestigiis calcata, Apostolorum sanguine respersa, Apostolorum vita

& morte consecrata fuerint. Atq; hæc voti mei causa vna, publica. Altera priuata

est ex singulari tua, Pontifex Opt. Max. in me humanitate & beneficentia, non solum

absenti mihi sapius, sed & nuper in vrbe coram ita clarè omnibus signis testata, vt si

pares mihi gratiæ non referendæ (quæ enim id sperem?) sed quod vel maximè decet, a-

gendæ sint, omnem sermonis mei facultatem

^a Hieron. Epist. 18. ad Marcel.

Item Paulus & Eustoch. ad Marcel.

^b Et commigret Bethleh.

^c Hieronymum Epist. 17.

^b Ibidem. ^c Ibidem.

Adde Chrysost. hom. 66. ad populum.

Ante ocha.

tem

*d Plin in Pa
meg. Tras.
an.*

tem in hoc tam vasto campo leuissimè con-
sumpturus videar. ^d Audiueram pridem te
omne Pontificis munus cumulatè exequi,
audiueram te esse Sanctissimū, humanissi-
mum, patientissimum, sed audiueram tan-
tum. Cogitavi igitur æquum esse, aliquan-
do me iudicio meo, meis oculis, non famæ
semper & rumoribus credere. Veni Ro-
mam, vidi, æstimavi, omnia maiora spe &
expectatione inueni: vt quotiescunque te
vel loquentem, vel orantem, vel sacris ope-
rantem intuerer, recurreret subinde regia

2. Reg. 10. 7. illa *Sabea* ad *Salomonem* vox: ^e *Verus est ser-
mo quem audiui in terra mea, super sermoni-
bus tuis, & super sapientia tua: & non crede-
bam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vi-
di oculis meis, & probavi quod media pars
mihi nunciata non fuerit: maior est sapientia
& opera tua, quam rumor quem audiui.*

*1. Reg. 24.
15.*

Quid enim? infinita tacebo, mea tantum
narrabo. Veni in urbem ego ^f *pulex* & *canis
mortu⁹*, intellexisti, accersuisti, admisisti, vi-
disti, benedixisti, audiuisti, respondisti, con-
giaris ornasti, ad *Lateranum* profecutus bi-
nis Sacramentis cōmuniuisti, Sacram ho-
stiam ori, sacrum *Chrisma* fronti contuli-
sti: deniq; vias retrò capessentem, noua be-
nedictione, noua liberalitate affecisti. Quæ
profec̄tò omnia tanta sunt, vt si non impio-
rum lance, non statera populi dolosa, sed iu-
stissi-

Nissima piorum Christianorum trutina
 ponderetur, non vulgi tantum, sed & sum-
 morum virorum & principum memoriam
 alere, admirationem exercere queant. Sanè
 nostrates hic præteritam ætatem præcipu-
 is meis felicitatibus ascribunt, atque ipse
Illustrissimus Archiepiscopus noster tanto li-
 bentius in numerum *Consistorii sui Assesso-*
rum cooptavit, quem tot tantisque tuis be-
 neficiis haud habitum indignum intellexit.
 Gratia igitur immortales sempiterno Deo,
 qui huius tam auspiciati itineris mihi au-
 thor comesque extitit: gratia tibi *Sanct^{me}*
Pontifex, qui tam paternè aduenam excepisti,
 tam clementer habuisti, tam liberaliter
 dimisisti, eamq; rem omnis deinceps fortu-
 næ meæ faustam esse sementem voluisti.
 Non obliterabit hanc mihi aut liberis me-
 is, (quos beneficio tuo honestius sanctiusq;
 Catholicæ fidei præceptis fideliter imbui
 sino) vlla vnquam temporis obliuio me-
 moriam. Quin coniunctis semper votis in-
 columitatem tuam Domino Deo ardentis-
 simè commendabimus, vt & corporis ro-
 bore, & animi tranquillitate, & vitæ longæ-
 uitate, & negotiorum omnium prosperi-
 tate, inprimis verò huius amplissimæ Ec-
 clesiasticæ gubernationis optatissimo suc-
 cessu, vberimum te tuorum erga nos me-
 ritorum fructum percepisse cognoscas. Va-
 le

284 IUSTI BARONII VETER.
le Sanct^{me} Pater. Mogunt. prid. Idus De-
cemb. M. DCII.

EPISTOLA XVI.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. CÆSARI BA-
ronio Sorano S. R. E. Cardi-
nali

IUSTVS BARONIVS VETE-
racastrensis S.

Ill^{me} & Rev^{me} D^{ne}.

AD 18. Calend. Decemb, cum variæ va-
rijs ex causis mihi hinc inde neçtende
fuiſſent moræ, tandem Deo duce, Angelis
comitibus, precibus votisque veſtris ſuffra-
gantibus, *Moguntiam* ſaluus & incolumis
redij, familiamque de manu Dei protecto-
ris optimè cuſtoditam recepi, gratulanti-
bus amicis, applaudentibus vicinis, tripudi-
antibus liberis. Quo nomine, vt debui, di-
uinæ Maieſtati, ac cælitibus omnibus, ma-
ximè glorioſiſſimæ Virgini Matri, ac S. An-
gelo duci ad *S. Crucem* noſtram Sacro inſti-
tuto, gratias cum meis ardentiffimas habui,
habeboque deinceps tanto ardentiores,
quâto maius & inſuetius beneficiũ agnoſco
tã longã tamq; difficilẽ viam vltro citroq;
inoffenſo pede conficere: *Romam* Orbis
Dominam, tantis omnium virtutum lumi-
nibus claram, plenis oculis intueri, tanto-
rum

rum Principum amore, hospitio ac liberalitate frui, viuisque ad pietatem exemplis instrui, quod ego in omni re potissimum iudico. Ô quam sæpe mihi in animo illa sacra cultusq; Romani: Patrum sanctissima Concilia, fumans millenorum Martyrum sanguis, *Baroniana* domus matutinæ vespertinæque religiones, *Oratory* preces, flagra, concentus, aliaq; sexcenta huiusmodi pietatis fomenta alia, quæ ego sic pectori meo insculpsi, vt quandiu *Roma* absum, dulcissima patria carere videar, alienoque solo peregrinari. Sed *Moguntiam* redeo, tutum hactenus asylum nostrum, & vt spero deinceps futurum tutius: siquidem (quod non sine tripudio nuncio) vestristandem commendationibus Spartam diu expectatam hic ab *Ill^{mo} Archiepiscopo* nostro nancisci licuit. Quæ si minus spes respõdisset, *Ill^{mus} D. Iulius Herbipolensis Episcopus* & *Franconie Dux* (quem tua atque *Aldobrandini Parauiciniq;* causa nihil non velle intelligo: ita crebrò vestri meminit, ita libenter largiterque vestro mihi nomine honorem habuit) locum in Academia sua destinarat. Neque ego multum ab hoc consilio abhorruissem, nisi multis hactenus beneficijs *Moguntinis* nostris me aliquanto sensissem obstrictiorem.

De *Perusina* ac *Senensis* Laureæ gratulatione,

tione, gratiam tibi ingentem habeo. Nec opus fuisset huc vsque officij descendere, cum mihi hoc vnum in votis esset, meum tibi cæterisque patronis consilium probare. De studio in Ecclesiam & fide, iubeo te quam esse securissimum. Nec quod dubites scribis, scio, sed quia mos est ita monendi, mones, monendoque laudas, *Ouidio* auctore, quem ego hic animi tui interpretem sequor.

*a Ouid. 5.
Trist. 15.*

a Qui monet ut facias, quod iam facis, ille monendo

Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Vale, & mihi vultum moresque tuos perpetuo ob oculos versari scito, quibus assequendis etsi me nunquam parem fore notui insequar tamen ut potero, & hanc mihi laudem maximam, tibi gratitudinem summam ducam, si ut *Parvus* ille *Iulus* dextræ se patris *Aeneæ*

*b Virgil. 2.
Aeneid.*

b Implicuit, sequiturque patrem non passibus aquis.

Ita & ego vestigijs tuis minori licet pede insistere, nomenque *Baronianum*, *Baroniano* studio & diligentia, probitate etiam & candore (nam cætera altioris cuiusdam æmulationis sunt) cohonestare pro viribus annitar. Vale iterum & cum Illustrissimis Collegis tuis, *Paravicino* atque *Aldobrandino*, quibus simili propè exemplo scripsi,

ater

eternum salue. Mogunt. Prid. Idus Decem.
M. DCII.

EPISTOLA XVII.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. BERNHAR-
dino Paulino Sⁱ Dⁱ Nⁱ CLEMENTIS VIII.
Pontif. Max. Datario.

IVSTVS BARONIVS VETERA-
castrensis S.

Ill^{me} & Rev^{me} D^{ne}.

QVANTA vis amoris sit ac *Φιλανθρω-
πίας*, vel feræ bestię norunt, atq; an-
niculi bimuliq; infantes. Vt enim hi blan-
dam nutricis vocem obuijs vlnis sequun-
tur, horridam patris fugiunt & auersantur:
ita illæ multis amantibus vicem repende-
runt, si *Plutarcho*, si *Gellio*, si *Aeliano* credi-
mus. Expertus igitur ego nuper in vrbe sin-
gularem quandam tuam in me meosq; hu-
manitatē ac beneficentiam, accensus etiā
varijs & honorificentissimis gētis nostrę tū
hic, tū illic de te p̄conijs & laudibus, eum
erga te animum concepi, quem erga dile-
ctissimos mihi, & sanctiori quadam nota
colendos gerere soleo. Nec mihi satisfeci,
donec hoc ipsum ad te perscriberem. Tegi
recusat amor, multo magis premi, flagratu-
rus tanto impatientius, quanto maioribus
vmbaculis inuolutus fuerit. Flagitabat id
ipsum

ipsum gratitudo. Maeste igitur animo *Ill^{me}*
 Domine, tuo nomini plaudit *Italia*, plaudit
Germania, plaudunt noti, plaudunt ignoti,
 plaudit etiam paupercula musa mea: quam
 vt florentiorem locupletiolemque redde-
 res, scis ipse quibus adminiculis iussu seris,
 quibus stimulis excitaris. Maeste animo, nec
 lassare, quod aucupes quosdam tibi fors of-
 fert minus rectos. Contemne: constabit ni-
 hilominus tuum tibi præmium, Ecclesiæ
 gloria, Pontifici laus, qui quod spem Ro-
 mani nominis sumptibus ipse suis suscipit,
 rectè facit. ^a *Nullum est magno principe, im-*
mortalitatemq₃ merituro impedi genus digni-
us, quam quod erogatur in posteros. Nec gra-
uius Ecclesiæ occasum, Reipub. interitum
accelerat, quam qui præmia virtutibus ne-
gat, pœnas sceleribus. Quæ omnia ego ad
te gratiarum actionis loco, quam si breuem
impolitamque iudicabis, ignosce. ^b Ani-
m aduerto enim etiam Deos ipsos, non tam ac-
curatis adorantium precibus, quam innocen-
tia & sanctitate letari: gratioremq₃ existima-
ri, qui delubris eorum puram castamq₃ men-
tem, quam qui meditatam carmen intib-
lerit. Vale. Mogunt. Prid. Idus De-
 cembr. M.DCII.

*a Plin. in
 Paneg. Tra-*
iano.

b Plini. So-
cond. ibid.

EPISTOLA XVIII.

IVSTVS BARONIVS VETERA-
castrensis

THOMÆ BOZIO E VGVBINO
clariss^o Theologo, Congregat. Orato-
rij Presbytero S.

NIL mihi iucundius est, Clariss^o Bozi,
quam ex quo tempore te cæterosque
Oratorij patres, doctissimos sane illos & hu-
manissimos, cognoui, totum vestrum & ef-
se & videri. Plurimum me affecit humani-
tas vestra, auxit eruditio, pietas informavit,
zelus denique Catholicæ religionis mirifi-
cè confirmavit, cuius ego sic totus sum,
quam totus vester, atque eius, qui^a non *ai. Pet. 1. 18.*
pretio redemit nos, sed sanguine. Ill^{mo} Baro- *19.*
nio meo animam debeo, cui hoc vnum al-
laboro, gratitudinem meam aliquo argu-
mento approbem. Facite & vos quaeso, vi-
deat optimus Cardinalis, non immemorem
planè aut degenerem se clientem adopta-
se. Nomen eius perpetuus mihi ad virtu-
tem stimulus est, tantæ ad conni-
tendum animi corporisq; vires. Neq; mi-
hi propterea bellus videor, vt ^b S. Hieronymus *b Hieron.*
cuidam illudit, quia fausto vocor nomine: sed *Epist. 100.*
ideò me fausto vocatum nomine existimo, *ad Bona-*
vt bellus esse connitar. Sed ad te redeo mi *sum.*

T Bozi,

Bozi, quem sincerè diligo & admitor, nec minus eruditissimos Collegas tuos, *Flaminium*, *Gallonium*, *Petrum*, & quem neququam vltimo loco nominatum oportuit, *Franciscum* fratrem tuum, quem cum cæteris amantissimè à me saluere volo.

De itineris mei successu, certè illo, laus superis, felicissimo, iam iam ad Mœcenates scribo. Cognoscite. Vnum est quod te scire refert, opellam meam Ill^{mo} nunc *Archiepiscopo* nostro addictam, ideoque *Bambergen-sibus* gratias agendas. Noui apud nos nihil est, nisi quod *Anglo Caluinianum* quendam in me, (me vero, imo magnos illos signiferos nostros, *Baronium*, *Bellarminum*, *Stapletonum*, &c) insurgere audio. Quid hominis sit, scire video. Eum uit iam aliàs horrendas satis in Ecclesiam, vt *Idololatriæ* scilicet deditam, blasphemias, arque vnus ex illis est, qui in Ecclesia nati & educati, *cuculorum* tamen more eã tractant, atq; instar *mulorum* vberibus matris recalcitrant. *Wilhelmus* vester *Perseus* ad vnguem nouit hominem, finite eum suis coloribus depingat. Mihi lectionis aliquantum habere, malitiæ verò & calumniæ serpentem intimo pectore alere videtur. Sed qualis quantusque sit, farragines eius plenius breui testabuntur. Tu Vale mi *Bozi* atque incudem *Annalium* tuorum indefessus tunde. Mogunt. Prid. Idus Decemb. M. DCII.

EPISTOLA XIX.

NICOLAUS SERARIUS SOCIETAT. IESU PRESBYTER

DANIELI TOSSANO ACAD. Heidelberg. Professori

DE alienis abs te resignatis litteris tria mihi, D. Tossane, narras. Primum te illas accepisse solumque legisse: deinde, cum D. Iusti Baronij manum ignorares; illas D. Pareo monstrasse: postridie tandem totum Magistratui fasciculum obtulisse. Ac in primo quidem posset aliquis tibi, apertas fuisse astruendi, dicere: Heus mi D. Tossane, ut hoc probas? Ecce alienas fateris te litteras accepisse: clam, praesente conscioque nullo, primum legisse. Quomodo abs te non apertas fuisse doces? Quomodo veri videatur simile, ad te ignotum ab ignoto, ut ais, illas missas? cur ad ipsum non potius Magistratum recta ille misisset? Quantus hic dolis & iniurijs campus? Alienas quilibet intercipere litteras poterit, easque pro animo sui lubitu resignare ac legere: postea vero caulari, a quodam que nesciret. sibi aut datas aut missas. Tota tua haec defensio ex eo vno pendet, ut tibi soli illud absq; teste, absq; veri vlla similitudine aut argumento asseueranti credatur. An² Pythagoram te aut Aristidem vis

Debuerat hac Epistola secundum huius libri locum teneri. Sed ex quodam incommodo huc ad finem reiecta est.

a Hiis enim iniurijs creditum. Cic. 3. offic. Et orat. pro Sextio. Plutarch in Aristid.

existimemus? At multi ne iurato quidem credant. Ego tamen summo tecum iure nõ agam. Contentionis nolo funiculum trahere. Patiar mihi persuaderi, hominẽ quẽdam ignotum, ex ignotis *Lotharingiæ Burgundinũq;* finibus, ad te ignotũ, ob ignotam causam, ex ignota occasione (hęc omnia significas) illas iam solutas & reclusas destinasse litteras: in alio etiam (quia hoc vnum sanctè affirmas) earundem calumniosè miniatarũ, & ad *Ren^{um} Nostrum* missarum culpã hærere tibi assentiar. Sed quia è

b Tob. 4. 16. ^b *Tobia* negans nuper præceptum attuli, nõ possum, quin (scis autem inter ista quantum discriminis) de aiente, quod apud *S. Math 7. 12.* *Mattheum* est, paululum colloquar. ^c *Omnia quaecunq;* vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Abs te petieram, litterarum mihi vel *R. dis^o & Illust^{is} Cardinali Baronio* exemplar mitti. Cum id primus accepisses, idemque alijs tradidisses, nonne id mihi te præstare consentaneum fuit, vt mea saltem causa repeteres? Nonne ab alio tantulum tibi vel pro iniuria compensationis, vel exigui certè officij concedi velles? Et cum in alios aliquos totam illam odiosissimę miniationis culpam cõtulisses, nonne hoc vel amicis vel maioribus tuis iam debebas, vt tanta data occasione, tanta pœne flagitante causa, eos paululum excusa-

res:

res: aliquam, vel aliquo duntaxat modo
 probabilem calumniarum illarum rationē
 obtenderes? Quid? summo doctissimoque
Baronio, grauitime à vobis læso, nonne vel
 vno saltē verbulo facere aliquid satis æ-
 quissimum fuit: sed quibus sola saluti fides,
 ijs vt video parum præcepta curæ. Hisce
 quæ causa postulabat omnia, omninò præ-
 teritis in alia quælibet incurfas, & quidem
 adeò temerè ac impotenter, vt licet ^d *altum*
premas corde dolorem, iramq; admodum dis-
 simules, te tamen appareat mordere ac no-
 cere, nisi esses edentulus, & *vana sine viribus*
ira; optare. Me petis, Societatem nostrā ad-
 mordes, Pontifici maledicis, in *D. Iustū Ba-*
ronium arietas, & quia contra ipsius rationis
 ordinem agis hæc, adeò in Epistola tua or-
 do nullus est, vt vix cum cœpisses, iam vel
 æstu, vel æstro abreptus, in societatem di-
 gredereris, in ipsoque pœne principio scri-
 beres: *Sed ad rem*. De omnibus verò istis ta-
 cerem, teque silentio solo vlsciscerer, nisi
 quo tuas accepi, me dies moneret, vt ali-
 quam te ipsum colligendi corrigendique
 occasionem tibi darem. Video enim te in
 vitijs quibusdam non paruis, quæ quia *Pre-*
dicantibus ferè omnibus communia sunt,
 minus aduertis, inueterasse; in summa te-
 merè de alijs iudicandi & pronuntiandi li-
 centia, in fœda pessimè optima quæq; inter

*d Virgil. e.
Aeneid.*

pretandi consuetudine: in egregia Catholicorum dogmatum inscitia: in audaci quidlibet de quolibet, quem oderis, effutiendi proteruia.

Meam dicis Epistolam *verbofam*; credo, quia verborum, quæ alienarum litterarum resignationis crimen perstringerent, plus quam libenter audiret reus, habebant, cum verba essent neque rerum, neq; argumentorum inania. Qui scitent viceribus, ea vel citissima tantum manu, vel potius omninò non tangi vellent. Iustum circumuenire cur velint impij, hanc in *Sapientia* causam dant. ^{9 Sap. 2. 13.} *Quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & impropere nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata discipline nostre. Plenam addis contradictionibus, an quod tibi, an quod mihi contradico? forte istud vis. Nam cum in Epistolæ vestibulo professum me breuitatem dicas, longiculus tibi videor. At breuiter toto de argumento agere velle me, non dixi: sed paucis exponere, cui ego ad te ignotus, ad Calvinianum Catholicus, ad Superintendentem Iesuita scriberem. Et verò quod promisi, reapse præstiti. Nam causam ilico subiunxi. Eandem Epistolam ais habere nihil, præter plenas à pàgòs scopticarum vellicationum, & inanem ostentationem multiplicis lectionis. Quid habeat illa, qui legit, videt, omninoque volui alienarum*

narum

narum litterarum interceptores, resignatores, & criminatores vellicare, vel ipsum potius id faciendi facinus euellere. Non hoc oportet? Non faciendi causa mihi iustissima? Vobis licet, quod vultis facere, & quod non vultis, nemini licet dicere? ^f *Qui ait S. fln Psal. 90*
 Augustinus modo tonare volunt, postea ful- ^{exp. 1.}
 minantur. De ostentatione verò ² *tu quis es, g Rom. 14.*
 qui iudicas alienum seruum? At multiplex in ⁴
 Epistola lectio est. Multò certè quam vellent alij te doctiores, minor. Sed sit, quia ita tibi videtur; aliqua: num quidquid eruditum, variaque doctrina tinctum, id ab ostentatione? Cordium certè coniector, & iudex nimium quàm audax & ineptus es. Neque te, tantum in Academia illa Regem, & apud non illiteratos homines, loqui ac statuere decebat, vnde à bonorum auctorum lectione abstereretur iuuentus, ne si fortassis legeret, ijsque vteretur, ostentationis abs te damnaretur. ^h *Eliabum illum mihi refers, h 1. Reg. 17. 28.*
 qui simplicis candidique pectoris *Dauidi* opprobrabat: *Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui*: Aut vero illos potius, qui innocentia ipsi se quasi nimium ostentanti dicebant; ⁱ *Quem teipsum facis? Apud i Ioan. 8. 53*
^k *Quintilianum* Iuuenis quidam erga pa- ^{k In Declam. mat.}
 trem patriamque pius, *Tuli ait (Deos restor)*
in aciem, tuli non virium iactationem, non glorie cupiditatem, sed ut patria prestaret ali-

quid utilitas mei, ut hunc mihi deploratum spiritum, hoc destinatum damnatumq; corpus publicarum utilitatum usque absumeret. Ego verò in omne contra hæreticos, criminatores, veritatisq; hostes certamen affero, non ingenij, aut lectionis, quam perexiguam sentio, iactationem: non inanis propriaq; alicuius gloriolæ desiderium, sed ut innocentiae ac veritati seruiant, quæ in me sunt omnia: ut si quid mihi audiendo & legendo doctrinæ collectum, id etsi perexile, totum in Dei gloriam, Ecclesiæque defensionem & ornamentum conferatur. Ille, ille mihi semper propositus, qui licet ut ostentabundus à Iudæis accusaretur, verè tamen clamabat: *Ego non quero gloriã meã, & si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.* Illam tantum in me ostentationem cupio, quam & cupit S. Paulus dicens. *Cupimus unumquẽque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usq; in finem.* E falso tamen improboque tuo isto iudicio, ut à re, qua cares in risum, per quem euadas, solueremur, exclamas, *Vah!* Tres in scriptura sunt, qui spirituosa hac exclamatione vtuntur. Est in *Iob* libro pugnax & sternax equus: est apud *Isaiam*, è Deorum suorum ligno se calcians idololatra: est apud *Evangelistas*, Iudæorũ, qui crucifixum Dominum irridebant, multitudo. Istos videlicet
 vetulus

I. Iam. 8. 50.

54.

m Hebr. 6.

11.

n Iob 39. 28.

o Isai. 44

16.

p Matth. 27

40.

Marc. 15. 29

vetulus fannio imitari iam voluisti, aut po-
 tius horum extremos tantum. V sitatum e-
 nim vobis, vt *Iudæ ac Iudæorum* facta ver-
 baque imitemini libenter. E vestris non ita
 pridem cum essent hic aliqui, & nostra in
 æde, impensarum in Dei cultum aliquid
 vidissent, ilico ijs in ore fuit *Iudæ* illud, ^{9 vt 9 *March. 26*}
quid perditio hæc? & tu mihi modo cum Iu-^{8.}
dæorum vab prodis? Adeo in vestris schola-
rum templorumque suggestis vos fannis &
irisionibus assuefacitis, vt in rebus etiam
serijs nugari, aliosq; ludere præclarum pu-
tetis. Vbi nos in Psalmo primo, cum Septu-
*aginta priscis interpretibus legimus, ¹ Bea- r *Psal. 1.1.**
rum, qui in Cathedra pestilentia non sedit:
 Vos in Latinis, Germanicis, Gallicisq; psal-
 mis vestris libenter canitis, *qui in derisorum*
confessu non sedit. Neq; si nouitatis vestrum
 abesset cacoëthes, reprehendo, cum & He-
 bræa vox ferre id possit: neque in sensu dis-
 sensio sit, sed illud hinc iam colligo, nimi-
 um diu in isto vel *pestilentia* vel *irrisorum*
Cathedra te hæctenus sedisse. ⁹ *Homo, ait Ec- / Eccl. 23.19*
clesiasticus, assuetus in verbis impropert, in
omnibus diebus suis non erudietur. Et paulò
 ante. ¹ *Indisciplinata loquela nõ assuescat os tu- s Eccl. 23.17*
um. Est enim in illa verbum peccati. Miri estis
 homines. Si paulò scribimus familiarius,
 imperitiam vocatis: si paulo accuratius, o-
 stentationem. Vobis quid faciemus? Quo-

modo loquemur? Apud vos verum illud
 Catonis; *De frumento utrinde tram, utrinde
 factiones tibi pares.* Et quod noster ait Salo-
 mon, ^{2.} *vir sapiens, si cum stulto contendere,
 sine irascatur, sine rideat, non inueniet requi-
 em.* Est verò quædam valde inepta & pueri-
 lis ostentatio, in sermonem, vel scriptionem,
 Græca vel Hebræa vocabula, sine causa, si-
 ne vlla gratia, vi aut significantia maiore,
 tantum vt Græculus quis aut Hebræolus
 videatur, ingerere. Vobis autem ea pænè
 omnibus adedò familiaris & domestica est,
 vt si quis vos alioqui non norit, hæc inter-
 noscendi nota iam certissima bellissimaq;
 passim habeatur. Respice te, mi *D. Tossane.*
 Senex iam es; verbosam ad me non vis vi-
 deri Epistolam scribere, & tamen è prava
 inolita iam cõuetudine non potuisti, quin
 currus, carrucæ, & plaustra tibi cum suppe-
 terent, *ἀμαξίας* obtruderes & cum *Siloea*
 quarum meminisse velles, *Schilobe* scribe-
 res. Non possum hic te, si liberet, meritissi-
 mo irridere, aduncoque naso tuum tibi sar-
 casmum regerere? *vah, quis in Predicante
 tantos Græca, Hebraicæq; lingua thesauros re-
 conditos fuisse unquam putasset?* Sed sannas
 istas non vsurpem sanus. Sæpe in istis habet
 locum, quod Atheniensi Parrhesiastæ dixit
 apud Senecam Philippus Macedo: ^{2.} *Multo
 sunt superbiores, qui ista dicunt, quam qui im-
 punè*

*æ Seneca lib.
 3. de Ira. ca.
 28.*

punè dicta audiunt. Sed illud ex te quæro, cur ad eò Hebraismi tui ostentatio præceptis & immodica sit, ut ipsis etiam Domini Evangelistis te anteponas, illosque quodammodo corrigas? Istam enim *Silos* vocem cū scriberent, & quidem sæpius, nunquam ut tu *Schilobam* *χιλω* *ἀμ*, sed semper, ut nos, leniter *σιλωάμ* dixerunt ¹ S. Lucas, & ² S. Iohannes. Nimirum illo vos delectamini plane pueriliter, qui

^a *Chōmoda* dicebat, si quando commoda vellet

Dicere, & insidias Arrius hinsidias.

Et magnam ingentis cuiusdam & inaudita sapientiæ apud imperitos famam colligitis, cum in concionibus à vobis citantur *Ieschabahu*, vel *Ieschahia*, *Iirmeiah*, *Iechezkel*, qui à nobis & simplicioribus Evangelistis, sacrisq; doctoribus *Isaias*, *Ieremias*, *Ezechiel* nominantur. Sic non tam ridebam, quam in cordis mei profundo ingemiscebam, cum te isthic in S. Spiritu, nouo vanoque spiritu, grandi voce identidem *Iehouach Iehouach* intonantem audirem. Quis enim Evangelistarū, quis Apostolorum, quis veterum Patrum, Græcorum aut Latinorum, quæ in Occidentis Orientisue partibus Ecclesia, ita vnquam Deum publicè aut priuatim vocauit? O heretica-

¹ Luca 13.

4.

² Iohan. 9.

7. & 11.

^a Catull. E. pig 82.

^b Matth. 3.

3. & 4. 14.

& 8. 17. &

12. 17.

& 13. 14.

Marc. 1. 2.

& 7. 6.

Luc. 3. 4. &

4. 17.

Iohan. 1. 23.

& 12. 39.

Act. 8. 30.

& 28. 25.

Rom. 9. 27.

& 10. 16. 65.

& 15. 12.

ticarum vanitatū bullas! ô iactantias? Non legistis de huiuscemodi rebus quid Hebraicæ, Græcæq; linguæ scientissimi iam ante tot secula scripserunt, & monuerunt: *Iosephus, Origenes, D. Hieronymus!* sed profertur *et Timoth. 6. 20.* ut ipsas hæreses: ita & *profanas istas vocum novitates*, quas detestatur Apostolus: vna gignit & proculdit superbia, inanisque apud rude vulgus ostentatio, prout à veritate ipsa coactus sub suarum in Priorem ad Timotheum Epistolam Annotationum finem contra se, suosq; omnes agnoscit *d. Beza:* ob eundem Iehouam à *Genebrardo* in Psalmos flagro pulsatus iustissimo.

d. In 1. Tim. 6. e Genebr. in Princ. ad Lect.

Sed quos Societati nostræ dentes infigere conitaris videamus. *Eius, ais, fastum parum a quo ferre Predicatores.* Et hic rursus te in illorum intimas animas penetras, eosque fastum nostrum iniquè ferre iniquus Iudex iudicas. Vnde enim hoc tibi? An quia illos nobiscum disputare audis? quasi citra mutuum contemptum, intra eandem Ecclesiam, cum charitate, acres & disputatores & veritatis indagatores nulli esse queant. Si aut *contra Iulianum*, aut *Confessionum S. Augustini* libros legisses, aliud utiq; sentiret. Certè aliter vobiscum, aliter cum Catholicis disputationē nobis instituendam, ita idē summus in ista parte vir alibi breviter docuit; *cum istis indoctis blasphematoribus*

ribus sacrarum litterarum (id est cum hære-
 ticis) non ea rationum subtilitate agendum est,
 qua ista querenda sunt, & inter pacificos Dei
 filios disputanda. Pergis: *consectari* nostros ho-
 mines *verborum phaleras & ampullas*. Iam
 supra respondi: & vobis hoc in oculis su-
 des, quod nihil in vobis aut eloquentiæ aut
 doctrinæ admiremur: neq; ij simus, quo-
 rum, uti velleris, in scitiam & barbariem, ve-
 stro cum ¹ *Frischlino*, ridere possitis. Addis,
eosdem, dum in thesi versantur, esse disertos:
eum ad hypothesein veniendum, fluctuantes at-
que inermes. At cum meas abs te litteras vio-
 latas questus sum, cum graue hoc scelus o-
 stendi, nonne hypothesis erat? Et tamen su-
 pra me nequaquam inermem fatebare,
 quin ad animi vsque tui dolorem, & inuidi-
 am non paruam, multiplici lectione, quod
 mihi tamen haud sumo, instructum & ob-
 armatum. Cum tu contra rerum omnium
 adeò nudus & expers sis, ut nisi à me S. Au-
 gustini sententiolam mutuatus esses, ne sti-
 pulæ quidem aliquid in pharetra tua fui-
 set. Nos autem *Tobia peculiariter delectari*
nuperrimè Ratisbona cognouisti. E⁸ *Triden-*
tino Concilio, è^h Bellarmino, ex aliis cogno-
 scere, si paulò esses diligentior, citius potu-
 isti, & sane delectamur. De hoc enim libro
 nobis diuinit⁹ dato, & per Ecclesiam Chri-
 sti sponsam ¹ *veritatis columnam*, omnium,
 qui

*f In Prisci-
 an. Vapuh*

*2 Scf. 4
 h lib. 1. de
 verb. Dei
 cap. 16*

*1. Tim. 3.
 15.*

Psal. 118.
14. 54.

1. Annos. in
Tobiam.

in Apocal.
9. 11.

qui salutis æternæ cupidi, matrem & magistram, proposito, cum propheta canit nostrum quilibet. * *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis, & cantabiles mihi erant iustificationes tuae, in loco peregrinationis meae.* Nam quid nesciamus? An quia magicum vester dicit ¹ *Iunius*, & tanquam è Tripode Apollo, modo ab audaculis Hebraea exempla scripta spōdet, modo eius consarcinatorem rhapsodum Iudæum censer? Laudavit hæc quidem nuper tanquam magna & admiranda oracula, in suo de principiis libro *Sibrandus* vester *Lubbertus*: sed nobis Apollo hic ^m *Apollyon* est, sine ratione, sine argumento, quod ipsi libet fingens, audacterq; mentiens, prout monstrarem, nisi quidquid ad veritatem facit, tibi esset verbosius. Maximè cum *Lacon* tantus sis, vt cum posses totum nobis *Arnaldum* obiicere, nolueris. Lepidè. Quæstio est de literis ad te nihil spectantibus: abs te tamen acceptis & resolutis: & tu *Arnaldum* non vis obiicere? Si obiiceres, quam quæso ad Hypothesin istam aptè miserum illum traheres? imò quàm aptè illius iam vel minimam iniicis mentionem? Mirum te nolle etiam obiicere *Lyserum*, *Lermæum*, *Lapidem* vestrū, aut verò quicquid in *Vatinium* dixit *Cicero*, in *Ibin* *Ovidius*. Tantidem omnia. Tibi vero non possem reponere

nere

nere doctissimumⁿ *Stewartium*, litteratissi- ^{n Apol. pro}
 mum *Gretserum*, omnes innocentia, mo- ^{Socitas.}
 destia ac veritatis, qui ubiq; sunt; patronos?
 Obscurè de mum *de struentibus vite Regum*
 & *Reginarum insidias* loqueris, quos Calui-
 nianos intelligeret, quisquis *Gallia* histori-
 as & coniurationes, aut verò nobilissimæ
 hodierni *Scotorum* Regis matris tristissi-
 mum funus legit. Alios tamen, si te benè a-
 spicio, respicis & sanè forent illi ter qua-
 terq; miseri, si certius, constantius, & verius
 calumnias istas non repellerent, quam tu
 epistolarum non tuarum effractionis cri-
 men.

Ad Pontificem dilaberis, à quo *de crimi-*
nibus omnibus dispensari solet. Magna in *Pre-*
dicantibus esse solet Theologicarum rerum
 inscitia: magna maledicendæ petulantia. Tu
 verò quia inter illos, inter viticas spina, ex-
 cellis, videris dare operam, ne in paucis ver-
 bis te indoctior & maledicentior quilibet
 sit. In peccatorum minimo dispensare Pon-
 tificem vllum posse num dicimus? Nescis,
 nescis tantus^o *Magister in Israel*, quid *absol-* ^{o loban 3.}
utionem inter & *dispensationem* interlit, & ^{ro.}
 istiusmodi tamè maledicta, in scholis & tē-
 plis, axiomata quasi certissima ore plusquā
 sesquipedali venditatis. Quod verò vel di-
 pensandi, vt vocas, vel absoluendi vobis
 potestatem non arrogatis, laudarem, nisi
 hoc

hoc ipsum arrogantissimè diceres. Tesi-
quidem, tuosq; Pontifici eo ipso præfers, e-
umq; videri vis id sibi ius arroganter vindicasse. At quemadmodum de Apostolo^p in eo, quo pœnitentiam tuetur libro Sanctus dixit Ambrosius, *vindicauit acceptum non usurpauit indebitum*. Vestrum enim omnium ingratiis omnibus in S. Petro ei dictum; ⁹ *Tibi dabo clauas regni calorum, & quacunq; ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo, & quacunq; solueris super terram, erunt soluta & in cœlis*. Est tamen, ne bonorum vestrorum quidquam dissimulem, aliqua vestra laus, quod eandem vobis potestatem non arrogetis. Nam facitis quod vos decet. Absq; siquidè omni dispensatione, imò generatim & propriè vt dicam, *absq; omni baptismo, pœnitentia, Sacramento, Peccatorum omnium veniam, diuinam gratiam, cœlestem hereditatem vobis parentum vestrorum semen*, vestraque tandem ad omnia omnipotens & omnifex sola fides tribuit. Deinde vt verissimè libro, quem paulo ante attigi, eodem idem S. scripsit Ambrosius; ¹ *Non habent Petri hereditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia diuisione discerpunt*. Et rursus; *Certum est, ait Ecclesia vtrumq; istud (soluere ac ligare) licere: hæresi vtrumq; non licere. Ius enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Rectè igitur hoc*

p S. Amb.
lib. 1. de pœ-
nit. cap. 6.

9 Matth.
16. 18.

v Amb. lib.
1. de Petri.
cap. 2.

hoc Ecclesia vindicat, qua veros sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest, qua sacerdotes veros non habet. Non vindicando autem, ipsa de se pronunciat, quod cum sacerdotes non habeat, ius sibi vindicare non debeat sacerdotalitate. Atque hæc in laudem vestram S. Pater. Quam ex eo etiam quod narras, vos in iis, qui ad vos à nobis transeunt, admittendis tam faciles non esse; auferem libenter, si verum id esset. Qui enim (iam præsertim cum mustum vestrum deferbuit, palamque factum apparet cuiusmodi vitis vestra botros, & qualé, ut ille vocabatur, terra sanguinem proferat) ad vos à nobis transit, nisi per paucos quidam aut excucullati monachi & monachæ, aut alii nescio qui, quos carnis libido, animi vertigo, scelerumq; variorum infamia eijcit? Et quæ vestra in hisce admittendis seueritas, nisi ut Hymenæas quàm citissimè faces apparent, nullis ad scelerum expiationem lachrymis, nullo gemitu, nullo ieiunio, nullis dignis pœnitentiæ fructibus opus esse, verbo reque ipsa profiteantur? Egregiam vero laudem. Sed diues est Papa. Est. Et vos libentissimi esse velletis: sed vel non estis, vel non tam, quam velletis. Sane in re vestra quoquo modo augenda studii & operæ nihil prætermittitis: & auri argenteique, facti & infecti, æquo plus corraserunt Schmidelinus, Kamnicus, alii: qui à

*S. Andronice
des apud
Plin. lib. 14.
cap. 5.*

Admon.
de reb. Con-
cord. cap. 12.
p. 441 451.
453.

Neostadiensi Anticoncordia vestra, Theolo-
gi eam ob causam aurei nūcupantur. Quia
(inquit illa) Illustrissimis Principibus fumos
vendunt, neque ad salutem Ecclesie, sed ad su-
as privatas cupiditates perficiendas tendunt.
In primo noui Euangelii vestri feruore a-
biit è summis & præcipuis Euangelistis in
Daniam vnus, Joh. Bugenhagius Pomera-
nus. Sparfit ille quantum potuit, iucundi &
tam ipsa nouitate quam variarum rerum
carni gratissimarum licentia plausibilis do-
gmatis semen. Sed ita, vt sibi ipsi messim fa-
ceret simul auream. Nam Wittebergam
cum reuenteretur;

Vix è conspectu Danica telluris in altum
Vela dabat letus.

Surinus in
Comment.
An. 1532.

Et mirè sibi gaudebat, suoque mar supio
gratulabatur dicens: *Habeas meum, o Da-
nia Euangelium: ego aurum tuum habeo.* Isti
omnes tamen conatu adhuc votoque suo
longè minus conflarunt. Hinc illæ lachry-
mæ, illæ contra Papæ opulentiam com-
murmurationes, nam

Horat. li.
1. Epist. 2. ad
Loll.
Isai 49.
23.

Inuidus alterius rebus in arescit opimis.
Habet diuitias Pontifex, quia scilicet
vates non vanus Isaias, qui præcinuit, *Et
erunt reges nutritij tui, & reginae nutrices tua.
Vultu in terra demisso adorabunt te: & pul-
uerem pedum tuorum lingent.* Verum non est
Ecclesie caput idem Pontifex, quia Dominus

IESVS

IESVS *unicus servator, & caput corporis sui*.
 Sed ô bone, nonne multi in scripturis san-
 ctis *Servatores & Salvatores* vocantur? Le-
 ge *Judicum* librum, ^a *Sanctiq; Jacobi Epistola*,
 quæ ^b *Luthero* quidem *straminea*, sed vo-
 bis *Caluinianis* & rectè, *Apostolica*, extre-
 mum. Quemadmodum ergo hi aliquo,
 quamuis longè inferiore, quam Dominus
 noster IESVS modo *Salvatores* appellantur:
 ita & *Caput*, *Pötifex*, *Rex* & tot in bello *ca-*
pitanei. Quid *Angliæ Regina*? Nonne plu-
 rimorum vestrorum calculo, *Ecclesiæ An-*
glicanæ caput? Audio & quidem ab Nobili
 & hæretico Anglo, aliquätulum aliquando
 tergiuersatum *Wittakerum*, vestrum: sed
 magno suo incômodo, quod tamen, si cum
 Catholicis Catholicè dixisset, æterna illi
 afferre commoda potuisset.

De *D. Iusto Baronio* expectas? verum tua
 is mendacia & calumnias tibi ^c *suas ad te lit-*
teris iam ostendit. Nam cum tuam accipe-
 rem *Apologeticam Epistolam*, me fortè for-
 tuna in valetudinario inualetudo quædam
 tenebat. Ei legendam misi. Legit statim, &
 confutavit. Erat autem *dies conuersionis S.*
Pauli, qui fecit, vt in *Societatem Iesu*, in quã
 in *baptismo* palam vt ais, *transieras*, & è qua
 per hæresin postea discessisti, reditum tibi
 vera cum animi tui conuersione optarem.
 Non est sponsi socius, qui sponsam odit, nõ

^a *Judic 3.*

^a *Jacob. 5.*

^{20.}

^b *Luth. præ-*

fat. in Epist.

S. Jacob.

^c *vide sup.*

lib. 3. Epist.

d. I. Iohan. 1.
6.

est in Christi societate, qui se ab eius Ecclesia distraxit. ^d Si dixerimus, ait S. Iohannes, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Duo tamen in ista, quam tibi arrogas, societate mihi dubia. Vnum quod

ei. Cor. 1. 9.

à socijs etiam te tuis dissocias. Illi, apud ^e Apostolum, non in societatem IESU Christianos omnes vocatos volunt, sed veteris nostro contempto interprete, in communionem. Ita enim Calvinus, Beza, Piscator, Tremellius, Iuniusq; vester. Alterum, quod in eam societatem te in baptismo transiisse dicas. Hoc enim, etsi cum Catholicis verum statuo, vestræ tamen hæreseos principijs parum congruit. Qui enim alio transit, ibi antequam transiret, non erat. Sed ex vestro dogmate, ante baptismum in Christi societate iam eras. Qui enim è Christianorum, vel Christiani vnus semine nascuntur, ij etiam, antequam per Baptisma regenerentur, vestra imputatiua sanctitate sancti sunt, æternæque hæreditatis participes. Dices; adverbium palam, ad eum te apposuisse. Agnosco. Neq; particularum istiusmodi vis parua, sed etiam priusquam baptismo initiare, palam in Christi fœdere & societate iam (e vestra quidem sententia) eras. Nam nonne pater, materque tua palam Christiani erant? Nonne palam constabat omnib; è semine Christiano natum te? Qui ante baptismum igitur in Christo palam eras, in

illius societatem per baptismum palā haud
 transijsti, nisi è *Turcis* forte, *Gentilibus* aut
Iudeis prodijsti. Huius tamen dogmatis
 coruiq; vestri malum si nescis; ouum exti-
 tit ille, propter quem tibi me notum scri-
 bis, hæreticus *Paccius Filidinus*. Conuerte-
 re igitur, mi *D. Tossane*, conuerrere ad illam,
 quam turpiter deleruisti, licenterq; hæte-
 nus docendo & concionando, quantum in
 te fuit, lacerasti Christianam Catholicam-
 que societatem. Tua iam deuexa ætas. Ni
 ocysimè redeas, in æternum à Christi lesu
 beatorumq; omnium cætu diuulsus & ex-
 turbatus, illis ob animi tui duritiem & per-
 tinaciam miser consociabere, quibus san-
 ctæ illius societatis auctor, dux & caput di-
 cet: *Discedite à me maledicti in ignem æter-
 num, qui paratus est diabolo & Angelis eius.*
 Quod in tuarum extremo addebas de hu- *f. Matth. 25.*
 manitate, quàm modestè pœneque necessa- *41.*
 rio, vt ab ista in alienas sarcinas inhumani-
 tate auocareris, proposueram, hoc vnum
 inter nos certamen semper esse opto, vt
 quemadmodum noster monet Apostolus,
 & *consideremus inuicem in prouocationem cha-
 ritatis, & bonorum operum.* Vale, sed si sapis,
 animo magis quàm corpore. Mogunt. Ca- *g. Heb. 10. 24*
 lend. Februar. M. DCII.

LIBRI TERTII EPISTOLARVM
 FINIS.

IV-